Księży

Opuscula in his miscellaneis sub Wro contenta sunt 33.

1. Oratio de coronatione B.V.M. in claro monte dedicata Christoph. Szembek Eppo Chelm. sinbt.
2. Immaculatum Virginis Deiparæ lilietum, a Joa. Bapt. Agnensi et Stan. Jos. Bieżanowski utroque oculis seu visu orbato elaboratum et dispositum. Crac. 1675
3. Inaccessa Sanctissima Virginis Montana ꝑ Thom. Gromnicki ex voto. Oratio. Crac. 1667.
4. Majestas sacræ claromontanæ Imaginis ꝑ Dionys. Chelstowski O.S. Paul. Claromonti 1717. Orat.
5. Graculum parthenium Virg. Deiparæ honori a Jo. Bapt. Agnensi et Stan. Jos. Bieżanowski Crac. 1668. simil. nº 2.
6. Sacratissima Virginis Dei Matris Reg. Pol. Majestas a Seb. Piskorski versib. dam. Crac.
7. Theatrum Marianum.. in nemore Leżaysciensi a Joan. Bytomski productum Crac. 1642.
8. Kazanie przy tuszym solenn. Dziękczynieniu za Dekret Kanoniz. Bł. Stan. Kostki przez Stefana Szczanieckiego S.J. r. 1715. 3. Lut. miane. Kalisz.
9. Kazanie Jana Chryz. Benedykta Gnińskiego na Ur. B. Stan. Kostk. 1687 miane. w Krak.
10. Korona z pochwał SS. dwóch ... uwita ꝑ X. Ant. Lipiewicza O.M. Krak. 1748. S. Jan Nep. i Ant. Padew.
11. Laska i pieczęć nadworna Niebieska. czyli Kazania na S. Jan. Krzciciel. i Jan. Nep. ꝑ X. Fortunata Łosiewskiego[+] w Krak. 1732. + Franciszkana.
12. Malogranat albo Kazanie przy exekwiach Panny Xiężn. Ostrogskiey ꝑ Woyc. Czarnockiego S.J. Krak 1636
13. Promocya Kanonizacyi S. Jana Kant. czyli Kazanie ꝑ X. Fortun. Łosiewskiego Krak. 1732
14. Syn przyrastaiący S. Józef. czyli nań Kazanie ꝑ X. Marcelli Dziewulskiego Franc. Krak. 1725.
15. Acumen Doloris ex obitu Stan. Szembek. Eppi Crac. ꝑ Matthæum Jos. Kolędowicz Crac. 1721.
16. Ad mentem Patriæ caput Stan. Leszczynski in fastos gloriæ relatum a Coll. Posn. S.J. relict. Posn. 1699.
17. Clavis aurea fracta seu in obit. Melch. Michałowski, Joa. Stan. Dzidowski poesis Crac. 1687
18. Classica mortis feralia Jos. Greg. Popiołek ab academ. excitata. Crac. 1758.
19. Dissertationes sup. rubricas de Sepulturis et sumptib. funer. ꝑ Andr. Lipiewicz propos. Crac. 1751.
20. Dolorum oneraria navis in funere Stan. Luc. Opaleński ꝑ Seb. Fortowski Crac. 1712. Orat.
21. Dolor Patriæ æternus in funere Constantini Feliciani Szaniawski Eppi Crac. a Congr. S.P. Crac. 1732. elogia.
Encomium ad solemnes exequias
In obitum Serenmi Principis } deficiunt.
Iactura orbis Literarii transmissa

Księżyc

22 Xiężyc JW Żałoby w Jakubie Morsztynie adumbrowany od Koll. Krak. S.J. 1729.
23 Fatalis lunæ pallor ad urnam Jac. Morsztyn a Coll. S.J. Crac. 1729 adumbratus Orat. et Carmen.
24. Memoria saeculor. in obitu Aug. II. ꝑ Ign. Cant. Herka. 1734. panegyris
25 Monumentum doloris Mariæ Josephæ Reg. Pol. in obitu Versus lat. et pol. ꝑ Stan. Rzewuski Crac. 1758.
26 Medela doloris in obitu Franc. Ant. Stokowski porrecta ꝑ Joan. Byszkowski Crac. 1672 Orat.
27 Monumentum aureæ pipenni exaxictum in ob. Alb. Koryciński Arch. Epp. Leop. ꝑ St. Jos. Bieżanowski Crac. 1677. orat.
28 Muneris et dolor saeculor. Stan. Dębski Eppi Crac. complorats a Collegiis S.J. Crac. 1700.
29. Parasceve in obitu Joann. Lukini ꝑ Ant. Jos. Zołędziowski descripta Crac. 1750. Poesis.
30 Splendor Korybuthei Syderis in funere Mich. Reg. Pol. a Mathia Brocki carmine consecratus Crac. 1676.
31 Tropheum z pańskiego urodzenia, na pogrzebie Stan. Chomętowskiego ꝑ X. Brun. Osieckiego Z.S.P.P. Capit. 1729. Kazanie
32 Tropheum ex immatura morte Helenæ Opalinia in Eccl. Rythw. a Carolo Trewani paneg. consecr. Crac. 1676.
33 Viva mors seu mortis superstes virtus et Gloria in exequiis Georg. Duc. a Zbaraż a Nic. Grodzieński Crac. 1631. elogia.
~~34~~ Authores in his Miscellaneis præter Anonymum sunt 24.

Anonymus 1, 16, 18. 21. 22
23. 28.
Agnensis Joan. Bapt. 2, 5.
Bieżanowski Stan. Jos. 2, 5, 27.
Brocki Mathias 30.
Byszkowski Joann. 26.
Bytomski Joann. 7.
Chelstowski Dyonysius O.S.Paul. 4.
Czarnocki Woyciech S.J. 12.
Dzidowski Joan. Stan. 17
Dziewulski X. Marcell. Z.S.Fr. 14.

Gninski Jan Chryz. Benedykt 9.
Grodzieński Nicol. 33.
Herka Ignat. Cant. 24.
Kolędowicz Mathæus Jos. 15
Lipiewicz Andreas 19.
" X. Antoni O.M. 10
Łosiewicz X. Fortunat Z.S.Fr. 11. 13.
Osiecki X. Bruno Z.S.Paws. 31
Piskorski Sebastianus 6
Gromnicki Thomas - - - 3.
Rzewuski Stanislaus 25.
Szczaniecki X. Stefan S.J. 8.

Fortowski Sebastianus 20
Trewani Carolus 32
Zołędziowski Ant. Jos. 29.

MAIESTAS

SACRÆ CLAROMONTANÆ
THAUMATURGÆ IMAGINIS
in Regno Poloniæ.
Ex MIRACULORUM SERENITATE,
Ex PONTIFICUM PRIVILEGIIS:
Ex REGUM MUNIFICENTIA:

TRINO DIADEMATE

CIVICO, TRIUMPHALI, OBSIDIONALI.
DUCE STELLA ALBANO-PONTIFICIA.
SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

CLEMENTIS

Divinâ Providentiâ

PAPÆ XI.

JN LIBANO CLARI-MONTIS
Solenni inaugurationis Pompâ

CORONATA.

Et Circumflexo Calami poplite,
Per
R. Patrem DIONYSIUM CHEŁSTOWSKI, S. T. D. Vicarium
Provincialem. O. S. PAULI P. E.

ADORATA.

Typis Clari-Montis Częstochoviensis. A. 1717.

JN PERAUGUSTUM STEMMA
CELSISSIMI
PRINCIPIS.



URUS SEVERIÆ, clementer dirigit ENSEM
Hic campum Famæ PRÆSULIS URUS habet.
DUX PASTOR PRINCEPS, Antistes Cracius idem
Hæc sunt pro meritis præmia digna Tuis.
Ensifer URUS erit, qui præferat arma Coronæ.
Regalis solij grande Ministerium
Hostes Regnatrix, BISONTIS Conteret ENSE
Sed Tecum palmam dividet & spolia.

CELSISSIMO PRINCIPI
Illustrissimo ac Excellentissimo Domino

D. CASIMIRO
à Łubna
ŁUBIENSKI.

Dei & Apostolicæ Sedis Gratiâ
EPISCOPO CRACOVIENSI
Duci Severiæ, Clari-Montis Częstochoviensis
Protectori maximo.

R*Edeunt* AARONIS *olim Metropolitæ Cracoviensis Ca-
thedræ sæcula: in* TE *Celsissime* PRINCEPS *Antistes
noster* DVX *Severiæ, Diœcesanei Cœnobij Tui Claro-
montani Protector maxime. Triadem ille Coronarum qua-
si Tridentem dũ aliquando Divo Stánislao per mare san-
guinis innocui rubrum velificaturo parasset, in Capi-
tolium Diœcesis nunc Tuæ Primus intulit: Te verô Auspice Faven-
tissimo, é Vaticano Divorum Electorali Campo Triadi Capitularis Di-*
adema

adematis advenit nunc Coronæ unitas quaſi Sphæram in quadro componens. Et quantumvis Tibi ſacras manus Trina Coronarum mole adimplevêre Superi Totamq́ Paſtoralem hæc inſignia occupavêre volam: da locum ordinarium etiam Coronæ Hoſpiti in Tua ſemper benefica Dextera. Diæceſis Tua Regina Provinciarum dici meretur Tota ſub Coronis, cui & Vaticanum monile Maieſtatis nunc addit Magnificentiam. Ovile Tuum dum ingreditur Hoc Aureum Vellus, *non alibi Domicilium ei fixiſſe placuit, niſi in Areâ* MONTIS *Tibi ſuppedanei, in quem meris non ceſſas pluere gratijs. Gravare Pectus Tuum Paſtorale Aurei huius velleris Pondere ut portares illud ad Aram cælorum fata non audebant; cum ſciant Te pridem totam ſacri Montis* MARIANI *ſupportare molem. Etſi ſuccolatricem nunc Tuam non apponis Manum: plus tamen ad Gloriam Nominis Tui effeciſti, dum cum* Lamberto *Cathedræ Tuæ Præſuleæ Prædeceſſore Caput Tuum, ſudoreſque Tuos & ſedulam Curam applicuiſti, Vrumq́ Tuum Gentilitium huic addixiſti labori; ut de Sacroſancta Vaticana Rota exportaſſes hoc Sacratum Diadema. Inſtantes literæ Tuæ ad Sydus Eminentiſſimum* ALBANVM *Cardinalitium, quantam navavit operam Caput Tuum pro Corona, edocent. Motricem Intelligentiam Te apellabo Præſul Celſiſſime, qui Suadæ Tuæ vi quâ polles, Dignitatiſq́ æſtimatione moviſti Fulgidiſſimam* Stellam PROTECTORIS REGNI, *ad placidum in Coronam influxum. Inclinaſti oraculo Sacri Tui eloquij Romanos Colles, ut ubi pro Divorum Capitibus naſcuntur Coronæ, inde, Te promovente excreſceret Sacra Tænia in Capite noſtræ Auguſtæ Sereniſſimæ.*

Prima Tui in Heracleenſem Tyaram Vnctio *nobis fuit Dulcedini, Eccleſiæ Lumen Monti Claro effuſum Nomen. Agonizabit nunquam perennis memoria Tui in hac Mariana Valle: ab hoc enim Benefico Oleo reviviſcunt gratorum ſenſus & animi. Inciſum feciſti Enſe Gentilitio Characterem Tui indelebilem ubi muta veluti Oratores in Oratorio Parthenio pro Domo Tua loqui docuiſti. Cracovienſem Inſulam non reſtrinxiſti tantummodò ad* CAPVT TVVM, *quam ita extendiſti ad Pauperes, ut centena mendicitas a* VITTA *Tua vitam ducat quotidianam. Cælum eſt menſa Tua Epiſcopalis, ad quã* Beati Pauperes *Fruitione gaudent. Baſilicæ Cathedralis Maiori Lumine Gloriæ Maieſtatem auxiſti, & Immenſo Numini acſi Empyreum poſuiſti.*

Vrbe ſed in media; ſummoq́ cacumine Rupis,
Frontato exurgit, pretioſum marmore Templum.
Antiqvum, ſplendens, ſpatioſum, fornice rarum
Auguſtoq; Iovis venerandum Numine magni,

Miran-

Mirandum, Coccæi opus, æquiparabile nulli
Illic Vastorum videas magna ossa Gigantum.

Ne quid mortale esset & in sarcophago Martyrizati. Præsulis præter Divos Cineres, æternitatis opera addidisti: Orbis Poloni delicium, mundi Spectaculum, Pharos Regum, Turris *Proceritate Cælis vicina, Fortitudine invicta, Vaveli* Regalis *summus Obeliscus, Nidus* Olorum *quondam* TRZEBICCIORVM, *quam ingenti ærario Tuo; a ruderibus & Casibus miris vindicasti* Casimirus, *Tuæ gloriæ sit pyramis. Abundantiam* Tuæ *munificentiæ narret* Tuba *Famæ vocalis in Turribus Tuis, ut Excellentiam admirans Populus* Turris *Tuæ Captivet intellectum in obsequium* Tuum. *Congressum Synodalem nemo satis deprædicabit, quem, quanto animi studio, quanto zelo, quanta Virium impensâ expedivisti, spectavimus.*

Indicitq; forum & Patribus dat jura vocatis.

Hierarchiam Diæcesani Cleri plane Angelicam Exemplo Tuo effecisti, & Tabulas Legis Iudex & Pastor condidisti. Majestatem *Cælestis Principissæ, Regni Poloni Hereditariæ Dominæ Tibi adfero, ut quam exilis obscuravit penna, ad Tuam Pontificiam Purpuram magis elucescat.* Primus *Maiestatis Fulgor in Monte nostro crevit ex mirabili Portentorum eius claritate in* Tuum *Pastoralem sinum hoc totum en reflectitur Iubar, nam sedes* Tua *Pontificia, quam felicissime occupas, Miraculorum Gratijs & Reverentialem dedit Assensum, & magnum Iudicium.* Summorum Pontificum *Apostolici Favores Augmenta sunt* Majestatis Marianæ, *quantum calamo licuit de Sacris* PETRI *retibus expiscari, totam congeriem Tibi Princeps Noster effundit calamus. Munificentia* Regum *Iconi Miraculosæ appinxit Maiestatis gratiam: sed cum in Tua Peraugusta Cathedra Regnantium Beneficia nascantur cum Corona eorum, ea quæ Pagina Complecti potuit,* Tibi Sacrum esto Fero Civicam *ex Aureis contextam* Tex*tibus Fragmentisq; Patrum: : Insigne est Maiestatis Virgineæ, sed ut sub Tua utpotè Magni Civis Patriæ perennet Ducali mitra permitte. Ex* Aureis ALBANO Pontificijs Montibus *Triumphalem Sacrosancta Roma conflavit* Coronam: *Capitis Mariani Monile est;* Tibi *(cuius summa Pietas, in Ecclesiam Cultus, Pastoralis vigilantia, in his stat Gratiosis montibus) offerendum duximus. Obsidionalis Coronæ Circulus ad Te etiam devolvitur, cui ex Aurea Libertate una cum* Proceribus *Regni in Consiliorum Sacrario* Pondus *addidisti, defendisti & propugnasti.* Solem Circumnectens Corona, minatur nimbos: *dixêre Astrorum indagatores:* Pro-

cul a Te Princeps Clementissime Fatorum Tempestates, cui Corona Vaticana ab Augustissimæ Virginis Maiestate affert serenitatem: Ex Rotunditate perfecta Coronæ huius, interminabilis vitæ Tuæ sit tibi Symbolum. Et cum iam Mensæ Nazareæ, Tabuleq; Cupressinæ Thaumaturgæ assidere incipit Hospes Corona, Tu Pastor Gratiosissime, Primum Usum Coronæ huius ad Mensam MARIANAM dignare BENEDICERE & Neocoronata Nostra Serenissima Benedicet Coronæ Anni Benignitatis Tuæ. *Ægyptiorum Lex erat, ut peracta Sacrificij Liturgia, Benemeritorum de Republica, generosa facinora, publicis inserta codicibus, utpote Notatum pro Posteris optimum Legerentur coram* Maiestate: *Prima & de Te Princeps Celsissime, ex Lege obligationis nostræ ad Aram erit mentio intra* Solennia Coronationis eius *ubi* Reginæ nostræ *Archimiraculosæ (sub Cuius Clypeo semper adversa vincis, sceptrisq; eius ab ovili Tuo propulsas feras) de Beneficiorum Tuorum libro, munificentiam Tuam in Montem Clarum suæ Maiestati Sacrum edisseremus, Tuas Gratias loquemur, & enunciabimus.*

Celsitudinis Vestræ

Supplex ad Aram
Cænobium Claromontanum.

MAIESTAS

Sacræ Claro-Montanæ Imaginis ex Miraculorum SERENITATE.

NOn è Solij excelsâ sede, Purpureo tumente typho metire MAIESTATEM. Solium si grandescit à solido Trophæorum pedamento, MAIESTATEM Seipsâ majorem efficit. Thronus quem Hectorea non serenant facinora theatrum est Comicæ MAIESTATIS. Non ex sceptrorum indice Regalis Eminentiæ collige fastum: nisi eis bipennis magnarum alarum insideat, inconnivâ palpebrâ cum Principe Astrorum Sole, de Lumine non sine victoriâ certare nata. Tunc tantùm sceptra tesseram Majestatis præseferunt, quando non arescunt in manu Regnantium, sed in palmarem excrescunt oleam Nomen aliàs tantummodo habitura sceptri si ita prenduntur dexterâ Principum, ut non moveantur ad gloriam. Non è pomi orbiculari globo, Majestatis imaginare sphæram, nisi enim per victrices campos hic rotetur globus ad centrum gloriæ, orbis in parvum decrescet mundum, & Majestatis syncopabit vastitatem. Pomum hoc sæpe degenerat in malum Punicum: si se ad urentis solis generosâ facie non exponat æstum. Pila hæc aurei pomi, tunc sibi aëris Regiones subijcit, quando per aera volitans, jam orientalium, jam occidentalium ventorum colla calcat. Fascesne erunt speciosum Majestatis insigne? sint sane? dummodo fascium manipuli, de puro Gradivi grano crescant in adoreas. Serenissima titulorum prædicamenta, si præconem sui famam ex tubali hæroicorum operum per aures vulgi tinnitu, non habeant, minime qualificant Majestatis cathegoriam. Toga nè Tyrio tincta murice ad imum terræ pendula largo per unctos diffusa lacertos luxu, Majestatis mensura erit? Sit sanè? modò hic purpurismus consangvineum habeat ex martiali venâ rubiconem. Torquesne aureus à collo diffluens, pectus Regale tundens,

Majeſtatem reſonabit? ſit ſane, modo ſibi concatenata habeat *Torquati* famoſa decora. A Majeſtate terreſtrium Numinum ad Tuam Cæli Terræque Potens, Supremi Tonantis Auguſta PARENS Majeſtatem appello. Quid elegantius ſtellati Solij Mariani pegmate? & tamen ominoſæ Poli arctici ſtellæ Majeſtatis MARIANÆ non dant prognoſim: totum ipſæmet à Regnatrice orbis mutuantes ſplendoris influxum. Quid magnificentius Sydereo ſtallo, aſtra tamen ad ſerenitatem Majeſtatis tantæ non concurrunt. Quid ingenioſius Throni ſtelligeri exedra? hæc tamen diſcurſiva lumina Imperatricis Cælorum bajula, capere non ſufficiunt Majeſtatem. Totos ſe planè effundunt Planetæ, in exquiſitum Throni MARIANI apparatum, hæc tamen rorida cælorum ſigna, fluidique canales, ad Majeſtatem Electæ nec guttam contribuunt: pauper enim Plejadum turba quidquid portentoſi luminis oſtentant; totum ex MARIANO Penu emendicatum hauriunt. Intronizant Zodiaci Miniſtri, Corregem Olympi AVGVSTAM; nec deeſt ſuæ ſupremus Aulæ venator, *Sagittarius*, Pocillator Regni Mariani *Aquarius*, Stabuli Præfectus *Taurus*, Dux campeſtris *Aries*, *Leo* vigiliarum præſes, *Cancer* gregariæ cohortis colonellus, *Libra*, fidele meritorum pondus, theſaurarij munere fungitur. In Thronum Marianum Erratica convertuntur Sydera, quaſi ad Thronum citarentur, iuramentum fidelitatis Divæ Regnatrici præſtitura. Quid Sceptro MARIANO ſolidius? Quid Virgâ directrice clavâque portentoſius? quando tamẽ hic ſceptri caduceus caducos vi Taumaturgâ pellit morbos, ex hoc ſigno, Majeſtatis MARIANÆ conſtitutio facile patebit. Originalis decor ſit Regnantibus ex ſuo pomo aureo? ab hâc tamen Malogranati origine, Horti concluſi Majeſtas non egreditur: Regali Majeſtatis ejus germine ex Fructu duntaxat miraculorum pullulante. Certat Ancillaris & abjecta ſors humilitatis cum Majeſtatis gravitate in Auguſtâ Virgine: totumque Gratiarum Mare, ſervili titulo abſorbere conatur. In vile ſe metamorforizat nihilum hæc infimæ ſpeciei virtus; ut late patentem annihilet, Majeſtatis claritudinem. Ergonè parvitas conchæ ad coronas natum depretiabit monile? Vicit Majeſtas collumque ſubdidit victa humilitas; & eò ſublimius aſſurgere cæpit, quo profundior animi depreſſio, gradum *Magnæ Dominatrici* Orbis ad novam celſitudinem poſuit. Ipſa ancillaris conditio; conditio

tio

tio erat, sine quâ, non vocaretur ad comparticipium Majestatis cum Numine, semel electa MARIA. *Regni jus servit utriq.* Apage *Maiestatis* Iubar Tibi enim ex affectu servit ancillæ vocula, non Tu illi. Symbol.

Prima jecisse fundamenta Majestatis MARIANÆ in tabula, privilegiatus aulæ Partheniæ Apelles Divinorum oraculorum Apollo Lucas (*Sacrorum solvens perplexa oracula vatum*) vendicat sibi, qui quasi certaturus pro sua Majestate manu penicillo armatâ non exercitum, sed artis exercitium in prima posuit linea. *Luca* militare vocabulum *castrorum aciem ordinatam* delineare debuit: Ipsamet Suæ Majestatis Author docuit nunquam imitabili exemplo rudem pocillatorem an penicillatorem; quomodo ad Tabulam tractanda MARIÆ Majestas. Cleantis lucernâ non erat opus ad effigiandum tam Majestuosum opus; ipsum *Lucæ* Patronomicum lucem dabat ad laborem. Primus ex Clarâ visione Faciei MARIANÆ evasit Beatus; & ne â dulci arceretur fruitione, in mensa cupressina & vidit & gustavit. Idæas Platonis in normam non adhibuit; ipsa sibi Idæa facta quia Dea. Primus ad audientiam Majestatis admissus Lucas: coloribus enim demulsit sanctior assentator aurem MARIANAM. Certabant adinvicem & ipsa ultramarina pigmenta de delicatâ Divinioris *Pandoræ* miniatura; jam color coccineus arridebat ori, sacraque labiorum limina veluti purpureo tapete sternere volebat; ut dum ex ore Majestatis MARIANÆ prodire eloquia necessum erit (*argutis syren sedit facunda labellis*) labiorum postes semper essent sub purpura. Iam color albus ad collum collimabat Virginis (*Et colli nitidum murice pinxit ebur*) ac si Cygneum candidioris plumæ supponere vellet cervical. Iam color cælestinus, cælestia oculorum lumina Nuncios cordis Suæ Majestatis investire ambiebat. Iam croceus color sacras genas *in mensa cupressina* condiebat, jam frontem sudoris fontem color fuscus sitiebat. Color flavus sese nodosis capillorum implicamentis vinctum pro Majestate offerebat: *ornarunt Charites auro fulgente capillos.* In luteo colore meditabundus hæserat *Lucas*, num deceret tam atrâ fuligine venustum pustulare vultum; sed Bos suus fortius figens pedem, hæsitantem traxit inde Lucam Violaceus violenter planè gratiam Majestatis quærebat; & uti Pontificius color, de Tribu Sacerdotali Augustæ Nepti MARIÆ se se in victimam offerebat.

Hæc Imago depicta a Luca in mensa Cupressina in qua convivebat Beata Virgo dilecto Filio in Nazareth.

bat.

bat. Puniceus in decoramentum Majeſtatis minime cenſebetur aſſumi, vel exinde quod in puniendo ſangvinem ſpiret: vel quod ſola Lucæ erubeſcentia ex ſuo magiſterio concepta, punicei coloris vicaria eſſet. Lente procedit in ſua arte *Lucas*, ne aliquam Majeſtati levitatem appingat. Tarde graditur Symbolicum Lucæ pecus, frumentum enim electum abſque palea inſerendum illi erat. Cornupetam bovem in ſocium laboris adhibet, noverat enim eum, de Genethliaco ſtabulo, parientis & Nati recentes ſecũ exportaſſe ſpecies, quas cognitione Poſſeſſoris ſui ad præſepe conceperat. Et ne ſylveſceret hæc ſacra odigytriæ menſæ Cupreſſus, oleum & operam impendit ad novam culturam Lucas. Inungit tandem exemplatæ Imaginis Majeſtatem, non ignarus, ante CORONATIONIS Diadema unctionem præambulam eſſe. Cornu olei, ne deeſſet inaugurationis MARIANÆ ad pompam ſanctiori Samueli, Minotaurus ſuus providit Cornuſtibium. Novam Emauntem in cupreſſina effingit menſa Lucas; ut ex fractione Panis, miraculorumque fragmentis, Majeſtatem MARIANAM patefaciat. Poſt temporum inclementiam Auream revolutionem Orthodoxis Democratiis præfigurat Lucas, dum novam faciem rerum remonſtrat in imagine; imo menſæ cupreſſinæ acuratam ſuperinducit mappam, in qua geographico ſtylo non mundum ſed mundam ab omni maculâ depingit Majeſtatem. Deſudant alij ut mappas mari impleant, cùm tamen vix guttam de ſuo Circino eliciunt: ſoli *Lucæ* conceſſum totum *Gratiarum mare* in mappam cupreſſino geographicam effundere. Nullam tributariam ibi licebit reperire urbem, nam ſatisfuit ad ſubtilitatem artis in protogene Lucâ, liberam Civitatẽ Refugij, Metropolim ſolius DEI in mappa expreſſiſſe. Leucas alij diſcunt in mapparum tabulis; Lucas tamen docuit etiam extra ſtatum viæ adeſſe MARIAM. Iam tandem pande vela Maieſtatis Tuæ ô Mare Gratiarum, in quo diu fluctuans Lucas, penicilli ramo uſus pro remo, ſecundam invenit tabulam. Diu remoram paſſus hic velificator Tuus; non ut cum coloribus tempus terreret, ſed quem Maieſtas terrebat.

Bos Symbolum D. Lucæ

Prima, *antiqua & celebris Colonia quondam, & populis & merce potens nunc fœda ruinis* Maieſtatem non imaginariam in imagine ſpectavit *Solyma*, ubi præſcius Ieroſolymitanæ demolitionis DEVS Vates fleviſſe creditur:

Indige-

Indigetes flevisse Deos urbisque laborem
Testatos sudare Lares delapsaque templis.
Dona suis, dirasque diem fœdasse volucres
Accepimus.

ut tempestive proprio lachrymarum elemento *Beatæ pacis visionis* abluisset pupillas: pupillorum Electæ Protectricis spectaturas Maiestatem.

Ierosolyma Beatæ pacis Visio.

Lacrymosa pluvia præcedere debuit ante *Serenitatem* Maiestatis MARIANÆ, Sæpe cadendo gutta stilicidii oculorum ejus, ita Ierosolymitana excavavit saxa, ut non remaneret lapis super lapidem, qui MARIANAM aliquando Majestatem offenderet. Et ne tantæ Majestatis mensæ quandoque Regale deesset poculum; de Lachryma Christi ipsa Humanitas præmaturè propinavit mustum. Quid nocuit huic Diviniori Dianæ pro Herostrate Incendiario Vespasianus? qui consumpta & excocta fatali carbone universâ Solymanorum carne, *Et versa in tenues consedit Troia favillas.* à mensa Odigitriâ abstinere debuit; Lacryma Humanati DEI feralem extinguente focum: Ardebant Ierosolymitani pænates;

Exuritur Ierosolyma à Cæsare Vespasiano.

hæc tamen pœna non adussit inculpatæ tutelæ vicinam Vcalegonem Virginem; & ut in Imagine etiam, immunem a fomite Vespasiani, se probaret exempta Virago, tædas sibi quasi hymæneas accendi non permisit: ne Maiestas suis satis clara fulgoribus, adscitio inclaresceret busto.

Imago Sacra illæsa manet ab igne.

Alibi mordaces locustas, huc ad territorium Solymæ iratum Numen in Vespasiano immisit Vespas; quæ, ne meridionantem in sua mensa Nazarea infestarent Maiestatem, ipsa Cupressus veluti frondosum muscarum flabellum repulsam dabat Vespasianis scarabæis. Trecentis annis inquilinam Solyma tenebat Imaginem (*pariterque ac Creta cunabulis Iovis, Delos partu Latonæ gloriabatur*) quasi triplum ipsa sæcula Maiestati viderentur ex se contribuere lytrum. Rara Maiestatis felicitas ipsos currentes annos habere vectigales, temporaque tributaria.

Cur trecentis annis Imago B. M. V. Ierosolymis.

Ipsa se sæcula fatorum concussa malleo Maiestati Imaginis in aureos recudunt nummos; quasi pæna peculatûs sponte mulctarentur, eò, quòd aliquando sæculum de sua linea & genere successivorum extitisset tale, quô inappretiatũ Numen in foro Ierosolymitano factũ venale. O diram sæculorum centuriatorũ patientiam? habere magnam felicitatis portionem in mensa Nazarea cum sale sapientiæ, & tamen Cupressinum Majestatis eius non sentire odorem: An arenosa clepsidrarum tempora

 retar-

retardarunt cursum Imaginis Sacræ ? quod post tercentenarium & non citius curriculum venisset in notitiam. O solem terris amicum Sydus secreti tenacem ? qui MARIANÆ Electionis conscius *Electa ut Sol* & tamen Maiestatem eius si non ignoret, celat.

Brixius

Vnde suam terris occultat Lampada Titan ?
Vnde negat mundo Cornua plena soror.

Per tot sæcula latuit Ierosolymis S. Imago & cur.

Sed cur portentosa miraculorum signa per plateas Palestinas Maiestatem Archetypi Parthenii partum cælestem gestantis, non declament ? cur prodigiorum spiracula Famæ tubam ad Mensam Nazaream more Principum non inflent ? Cur sub Ierichontina Rosa silent miraculorum organa ? ne mirare ? ibi silere MARIÆ oracula ubi VERBVM quondam tacuit.

Non venit in notitiā hæc Imago donec prius Crux Christi inveniretur.

Nec Maiestas Imaginis in publicum prodire debuit, donec Augusta Helena Aulæ MARIANÆ Mareschalla, CRVCIS inventæ præferret Scipionem. Piè avida Sacri Thesauri Helena Thecam VERBI invenit Crucem, in qua post tot diluta sangvine, obiecta, vitæ conclusionom æternæ Veritatis posuit Sapientia. Effosa exiliit magna trabs Crucis agente Helena Orpheum qui:

Treïcius scopulis sensum testudine vates
Atque aures duris addidit arboribus.

sed quid dico Thecam ? caduceum antesignanum levavit de terra Crucem; cum quâ MARIANI Gynecæi sanctior anteambulo Helena præibit, ut Maiestatem posthumam in Imagine, Regali pompâ educat in apricum Solii. Cedite Ludicræ Orphei testudines Diviniori incantatrici Helenæ, quæ non fabulosâ chelii *sed prece blanda fideque canorâ*, non Dodoneum Pinetum, sed soli DEO Passo sacrum Nemus de concavo terræ creditur provocasse. Muliebris osor otii Helena, acu rem tetigit, dum non lanam & linum sed Lignum quæritans invenit. Acu magneticâ dolorosam Crucem pupugit, quid mirum, si de subterraneo commovetur hiatu ? O vix Angelicis mentibus excogitabilem *Inventionem* ? mirâ arte vertit Crucis arundinem in Scipionem; ne Maiestas Iconis MARIANÆ tanto frustraretur ministerio. Radiante iam in manu Helenæ stupenod Crucis paxillo, iterum cruciatur gravi saucia curâ Diva Inventrix, novámque fæcunda dolorum Parens concipit pressuram quânam in officinâ reperire licebit Autographum

D. Helenā inventā Cruce Ierosolymis sollicitatur de inventione Imaginis à S. Luca depictæ.

Ima-

Imaginis ? vel quæ Arca fæderis liberâ manu effigiatam incarcerat opus ? Quod Ius civile sic incivile ut Divinum sequestret legatum ? Quod Propitiatorium sic impropitium, ut Arâ Cæli dignum Virginis simulacrum dissimulet ? Quod cænaculum sic frugale, ut *Mensam* quondam Numinis in carne Alumnam cum parsimonia tractet ? Erumpit tandem in Helenam ex conclavi Parthenio de sub modio triceni sæculi Maiestatis Fulgor quem par Miraculis imo Miraculum Miraculorum venustas MARIANA peperit:

Maiestas S. Imaginis innotescit Imperatrici Helenæ ex miraculosa pulchritudine.

Seu faciem spectes; lætamque decentia frontem
Lumina Sydereâ lucidiora face,
Brixl. Seu tantùm placidi cultu ornámenta decoris,
Aut qui purpureo ludit in orbe lepos
Nil spirat mortale Deam certe omnia clamant.

Frontem effigiatam tranquillabat Serenitas, *fronte sed non fulmina minante*, supercilia flectebantur in Iridem, oculos geminæ accendebant gemmæ, genas minio tingebat flora, vultum insumebat Princeps Camænarum Iuno, staturam componebat Camilla, sed si in penitiores animi sinus daretur illapsus, Cyprias in corde nemo non experiretur flammas. Nec ultra sagaciores Helena ad explorandum cuius esset hæc Imago? ire iubet sensus, soli oculo uti cordis sui nuncio unice credula quod ; *stirpe genus clarum*, *cæloq; affinis origo*, in Imagine. Novum miraculi genus ex vultu gratioso MARIÆ : Cor rapuit Helenæ in Suæ Maiestatis obsequium (*sub Tua purpurei venient vestigia Reges*) cum tamen miraculorum natura sit, rapta vindicare. Totam miraculorum Apocalypsim Illiademque portentorum in mellifluo Virginis labro descripsit cælestium mysteriorum Dictator ita ut etiam rudis oculus sciret legere. Cæcos Solymæ talpas, qui trabem Cupressinæ mensæ trecento sæculorum interstitio, in oculis suis non viderant, superelegantis Partheniæ Physis Collyrio *Suæ Visioni* restituit. Iactet Maiestatem Theodosii *Pacatus* ex molli vultûs in amores civium liquescentis cerâ : *Virtus Tua meruit imperium sed virtuti addidit forma suffragium, illa præstitit ut oporteret Te Principem fieri, hæc ut deceret.* Divinum quid spirabat ex pronomine *Theodoricus*, hoc tamen non permovit sic cives in Suæ Maiestatis Duliam sicut miraculum elegantis formæ. Ingemuêre in Traiano Principe: invictum

Pacatus

Non licebat ad Coronam eligere nisi pulchrum.

animi robur, par Diis iudicium, adamantinum in adversa pectus, mens tryumphorum idæa, Prudentia victoriarum Architecta, ac si non essent lucida satis Maiestatis specula, quandoquidem Traiani Maiestas, ex sola gratiosa fronte videri cupit: *oris Maiestas Principem prodit; & quis foret facile ostendebat.* Non pro formâ erat forma in Paride, cui ad Imperium forma rotunda dedit calculum:

Auratus

Forma vigorque animi quamvis de plebe videbar
Indicium tectæ nobilitátis erat. *Ovidius.*

Id unice Antipatrum Maiestatis fecit candidatum, quod specie differret à Fratribus. Non diu *Maximinus Minor*, cum fatorum æmulis pro Maiestatis capessendâ disputavit laureâ: Sola *Minoris* optima forma argumento erat ad coronam. Numa non nummorum aucupio Regales Maiestatis cœpit Aqvilas, solâ venaticam exercente externæ Symetriæ gratiâ: *augebat famam ipsius decor oris, cum quâdam Maiestate:*

Lacædemonios nullum Regem nisi pulchrum
Elegisse sibi prisca pagina docet

Si genus arguitur vultu nec fallit Imago. Phænix miraculorum nulli concolor speciosus in Imagine MARIANÆ Elegantiæ cultus, Dominatricem clamat. Sileant parabolæ non miracula, formæ deformes, imò formicæ non formæ, mendaxq; oris color: ubi Princeps miraculorum, Deiformis in MARIA imperat vultus *Regnum formosa gubernat.*

Officina Emblem.

Etiam inter Græcos fidem invenit Maiestas MARIÆ. Post Ierosolymitanum Tercentenarium quietis Sabatismum, in Dominicum *Constantini Magni* Diem, ritu Helenæ transfertur Imago. Tantæ Maiestati unus non sufficiebat orbis, Constantinopolitanam necesse erat sibi infeudare Monarchiam *magnæ fuit æmula Romæ.* Terræ sanctæ Districtus, Maiestatem Virgineam capere non sufficiens, ut latiorem sibi inveniret locum, dimisit eam in novum Orientis *Latium.*

Helena Imperatrix transfert Ierosolymis Constantinopolim S. Imaginem:

Constantinopolis nova Roma dicta.

Terra Beata loci genio, cæloque salubri
Ingentis Regni medium cor & aurea sedes

In Byzantinum Capitolium dum Sacra intronizaretur *Theotocon*, ad pompam tam festivi Introitûs, Processio Spiritus Sancti, sine Græcorum adhuc tumultu, momentum addidit. Bonis avibus in Byzantinam Diva Maiestas venit

Au-

Aulam, auspice *Spiritûs Columbâ*: nondum enim flammigero Aliti pedicas imposuerat Græcus, ut non procederet à Filio. Expiravit tandem in græcante Basilicâ nunquã mortale Numen, & ubi spiraculũ vitæ sperabat, tumulũ invenit. Tot exuvijs gravida Helena in Constantini Sinum, Terræ Sanctæ geminum deponit partum, cui occurrit alter niveus senecio Simeon, *Lux & proavorum, gloria Regum, & bajulus Isidis misteria portãs*, Constantinus, ac si subodorasset ex Cupressinâ Imaginis medullâ Maiestatis MARIANÆ propaginẽ.

Imperator Constantinus alter Simeon in suas ulnas recepit crucẽ & Imaginẽ & deportat.

In Castello Byzantino dedit stationem, & Cupressum proprio implantavit solio. Eadem quâ venerat rotâ egredi cogitur, ab Aula aureæ Fortunæ Idolum, Constantini inconstans Numen volubileq; fatum, quàm primũ enim Sors cecidit MARIANÆ Iconis in *Constantinum*, ipsa Fortuna in fortunium experiri in seipsa debuit: *non fert consortia Ditis* MARIA. Fortunæ suæ Faber hinc constat Constantinus fuit, dum edicto irrevocabili Auream fortunam damnat ad metalla. Fusam fortunæ statuam confusam fecit, fuditq; ab Aula: totam Imperij sortem Sanctior Aleator proijciens ad tabulam MARIÆ.

Constantinus Imperator in loco fortunæ quã in Palatio ut Deã colebat posuit hãc B.V.M. Imaginem ex nunc fortunæ idolo in exilium dato & è palatio eiecto.

Lusit cum Fortunæ Deâ Imperator: & tunc non nisi Fortunato Principi prosperè cecidit alea, quando ex Aulæ Pinnaculo cecidit Fortuna. Fortuna in casum versa, causam perdidit apud Principem, Solá Diviniore Themide MARIA *pro Tribunali sedente*. Locum fortunæ vertit in Pantheon MARIÆ iure collationis Princeps, & *uti vir Desideriorum* extunc magis satur à Mensâ MARIÆ quam ab *Olla Fortunæ*.

Hæc Imago primùm in loco qui dicebatur Tribunal deposita fuit antequam in Palatium deportaretur.

Excessum mensæ MARIANÆ non culpent convivæ Byzantini si citius finiri non poterat, nisi uno sæculorum lustro. Bullas Cænæ Domini facile absolvunt momenta, sed Mensæ MARIANÆ Dulciaria, sola ruminant sæcula.

Quingentis annis S. Imago Constantinopoli & cur?

Magna crimina fors expianda erant Byzantinis Publicanis, quibus, unius Iubilæi acsi non suffecisset Centenarius, Quinque Sæcula Durationis suæ Gratiarum Mater in magnum vertit IVBILEVM. Quinque sæcula non horis fluebant, sed prodigiis, à Sacro Imaginis emanantibus furno; nec mirum si per tot distillarentur sæcula quintam enim Essentiam miraculorum pollicebantur datura Byzantinis.

Maiestas Mariæ Constantinopoli innotescit ex miraculis.

Oculatos testes Maiestatis suæ Diva Icon Græcos adhibet ex cæcis vidẽtes. Vt fidem mercaretur apud Græcos, argumentum non apparentiũ adducit in medium. Duo obscura Civium

um ænigmata facile resolvit, dum in Lucem tantum opus claritatis gratia edidit. Lumine captos Cives veluti MAIESTATIS suæ mancipia Libertati restituit, Cogi non debebat Byzantina Civilitas in MAIESTATIS obsequium, testis est cæca obedientia Civium. Fallunt in alijs sensus, & cæci Constantienses sine fallo iudicant de coloribus Imaginis Divæ. Pro maiori authoramento MAIESTATIS suæ, novos sibi creavit Duces ODIGITRIA Princeps de Cæcorum familiâ, novosq; sibi ordinavit mystas dum Canonicos oculos in irregularibus sanat Civibus. Nec silet inter arma Byzantina, miraculorum Echo Maiestatis eius Classicum. Bellum movit adversus Constantinum *Sirgianus Bella geri placuit nullos habitura triumphos*, sed bilem movit cælitibus. Pharsalia eo validior quo rarior: raritate miraculorum Constantini Parva manus densas Sirgiani dissipavit copias. Portentum erat orientis *Sirgianus*, miraculo vinci debuit. Inclementior Attilâ, flagellum daturus Byzantio, virgam sensit ex cupresso miraculosæ Imaginis. Malis artibus alter arreptitius Spiritus in militari Sago Byzantinos vexabat Indigetes, sed solo victus amuleto Divæ Virginis. Acheronta movebat Erebi commilito sed victus aris magis quàm armis, MARIAM adoravit exmiraculo, *Strato tenet hoste triumphum. Civitas Virginis*, Sanctiori Epitheto vocitata Constantinopolis, ne in Sacrilegum venisset Raptum, impedimentum dirimens diræ menti hostili, ipsa fecit victrix MARIA. Feriabant arma Constantini & Feriebant miracula MARIÆ.

Primum miraculum ex cæcorũ visu.

Secundum miraculum

Nec iam cruentis iungere prælijs
Audet ministram Iupiter Alitem.
Quando Gygas melior timendis
Infestat armis, & trepido satis
Insistit hosti.

Insul: Pont: Crac.

Tauricam Chersonesum in Sancta Sanctorum furentem quis domuit si non Domesticum Numen MARIA? Iam inter muros & Mauros parva erat distantia, nisi Maiestas MARIANA de muris Mauros elidisset. Non novercantem experiri licuit fortunam in *Mamilla totius mundi* MARIA, Iuniore Andronico conculcatis naturæ legibus in Andronicum natura Avum eiusq; Byzantinum Patrimonium armis sæviente (*quasi necdum essent consanguinei, nisi per cædes & funera, mutuum*

Tertium miraculum

Quartum miraculum

tuum sanguinem confunderent) sed vicit Iuniorem, Maternitatis imperio, terruit Maiestate, victa precibus Imperatoris Avi MARIA.

Hactenus Humanum *Orientis* Imperium nunc Animale quia *Leonum*. Nihil humani sperandum est ubi oriens in *Leone* ita est: ignem spirabat triceps Imperii Constantinopolitani ex nomine *Leo* in Sanctorum Prototypa.

Leo Isauricus. Leo Copronim & Leo III. imperat: Constantinopolitani eversores Imaginum SS.

Inque suis simulacra multum
Arsêre templis. Principe vindices
Ferente tædas.

Insul: Pont: Cræ.

Sed hic incicuratus *Leo marmarico furit*, *Leone sævior Tyrannus*, in Diviniorem incidit Danielem etiam Leonibus imperantem. O impia orientalium pietas? everrunt templa, sed evertunt Iconum Exempla:

Hæc Iconomach: non nocuit miraculosæ Imagini B. M. V.

Iam tecta Divûm jam Phydias vorat
Vulcanus artes.

Emundant oratoria, sed pessundant cælitum originalia: *una Deos sepelivit omnes ruina casu.* O quàm dispar in Irenâ, Imperatrice sanguinis constitutio? cholericum quidem Irenæ nomen quod tamen ita concinni temperamenti extiterat, in Divos, ut nihil in se prædominari pateretur, nisi solam Maiestatem MARIÆ. Et ne contraxisset humorem malignantis naturæ nocivum Divorum Lipsanis, sudavit maximè pro Maiestate tuenda Partheniæ Imaginis.

Irena Imperat: zelat pro Imagine B. M. V.

Non hic ultima Thulle Maiestatis MARIANÆ *cis sequanam* Galliarum Propontidem protrahuntur Dominia MARIÆ. Prodigumne Filium an Prodigiosum Cæsarem appellem Nicephorum? dum cæleste Virginis memnosynon imo totum Orientis Imperium, Galliarum Carolo dat in Xenium: ita fere expediebat, ut *Lilium Convalium* ampliori potiretur campo, Gallicisq; lilijs per convexum orbis laté dominantibus insereretur. Ante Lutetias Parisiorum hæserat in Russia Carolus Magnus tanto onustus pignore: cui aggravantes obtestantium precum insuper adiecit species Dux Russorum Leo, ita, ut postliminiò fas non esset exire Carolo, donec sibi hanc sarcinam in perpetuum ferendam deposuerit. Diu certabatur precibus inter Principes de Primatu ad Odigitriam Mensam: sed vicit Leo de Tribu Ruthenâ & possedit. Præmisit preces ante Mensam Thaumaturgam Leo, ut

Nicephorus Cæsar. Galliarum Carolo Regi donat Iconem B. M. V.

In Gallias non pervenit hæc S. Imago.

Dux Russorum sollicitat Carolũ ut sibi donet S. Imaginem.

appe-

appetitum leniret in Carolo. Iam non trivialium pueroꝛum eſt certare de Imagine, etiam Principibus, quibus in præmium cedunt pergama, pergamina placent munuſcula. Diu æmulus Leo à parte Græcâ diſputavit cum Carolo, vicit Leo, Marianus Paleſtrica ſortituſq; Imaginem pro præmio. Placuit Maieſtati MARIANÆ Menſam Nazaream in Ducali ponere caſtro: Favum enim mellis in ore Leonis Sanctior invenit Samſon MARIA. Quingentis ſæculorum angariis de Mensâ Maieſtatis ſuæ, Bullis Pontificum Roxolanos paſcebat Archidux Ruſſorum MARIA, ne ex fermento Liturgico pro acidis acedioſi redderentur in obſequium fidei. Toties quæſtores Tracici, *Ducatus Leonis* pretioſum Ruthenorum numiſma dinumerare tentabant: *Heu quoties pubem movit furibundus Eoam Turca*: ſed miraculoſo Caſtrenſis Virginis exoculati faſcino, Beliſarios ſe eſſe mirati ſunt, pro Ducatu nec obulum reportantes. Sæpe commutantur Regnorum Dynaſtiæ ut nummi: ad tantum autem elevaverat pretium, Roxolanum Ducatum MARIA, ut etiam centum millia ſagittarum cifra eſſet pro Ducatu. Enumerarunt Scythici nummularii currentem ſagittarum ſummam ſub Caſtro MARIANO, ita ut vix tantum capitale ictuum portare poterat. O quanta hoſtici furoris arithmetica multiplicatio! teſtantur cæſa obſeſſorum latera, loqvuntur & mæniorum terebrati lateres. Acta Caſtri aggredi non ceſſant, ut ſe in caſtro quietent, æternam inquietem Ruthenis relicturi. Ac ſi in primâ ſteriſſet fronte Imago Parthenia: à ſagittâ volante ictum Sacrilegum in niveo excepit collo, an ut per nutum colli Tauricæ deditioni conſentiret? *Ecquid Diva Tuam non vindicas iniuriam?* exclamat Vladiſlaus: *nos præda furentum primaq; Caſtra ſumus,*

Impetravit Dux à Carolo Rege Galliarum S. Imagine quam collocat in Caſtro Belzenſi ubi 500. annis permanſit.

Scythæ oppugnāt Caſtrum Belzenſe & ictum S. Imagini infligunt in gutture, ſub Vladiſlao.

Vladiſlaus Dux Ruſſiæ implorat opem B. M. V. ut vindicet crimen læſæ Maieſtatis ſuæ.

- - - melius fortuna dediſſet
Orbe ſub Heſperico ſedem, gelidaq; ſub arctu
Erranteſq; domos, quam Ruſcia clauſtra tueri.

Non tam crimine læſæ Maieſtatis ſuæ, quàm carmine & Næniis Vladiſlai ad repreſſalia provocata Sereniſſima cæli Heroina ad arma movet cælites.

Terra ferox, partus immania monſtra Gigantes
Edidit auſuros in Iovis ire domum.

Mille

Mille manus illis dedit, & pro cruribus angves
Atque ait: in magnos arma movete Deos.

Mox è Saucio colli MARIANI vulnere veluti ex pyrobolico armamentario vidisses erumpere umbras ceu umbones Castrum occultantes: vidisses à sæculis non visam pugnacem turbam, loricatas Phantasmatum Phalanges mirâ monomachiâ Tartaricam Barbariem iugulantes. Ipsam nemesim pharetras in feretra componentem: *nec siccâ immites permittit morte tyrannos. Oppetere.* Pœnam colli in Castro Belzensi minabātur Imagini criminosi Scythæ, sed pænâ talionis mulctati: quia ne ad prodigiosam accederent aram, à sacris manserunt suspensi. Sepulcrum patens egessit sibi Scytharum impietas hoc ipso dum crudeli sagittæ ligone læsit Imaginis guttur. Immedicabile vulnus quod nec mora sanare potest virulentum enim Scytharum genus, dum lædit ad cor penetrat. Et jam Taurica luna sub pedibus victricis MARIÆ. Vix hoc noctuū sydus aliquando somniavit de Maiestate MARIÆ jam nunc Clariorem Sole, spectante Vladislao adorare cogitur.

Miraculum B.M.V. tempore obsidionis Belzensis.

Germ.

Vincuntur Scythæ.

Nullâ arte Cicatrix obliterari potest.

Maiestas Mariæ in Russia.

Ex miraculosâ victoria.

A Castro Roxolano cum Divina Themide ad stubam Regni Lechici appellat Vladislaus: ubi cedit juri suo dum immobile Bonum Odigitriæ Iconis nulla vi mobilis resignat invitus. Feliciori Turno vix pedem posuit in hoc sacratiori Gargano Maiestas MARIANA plantam miraculorum reliquit: ut à plantâ pedis metiri liceat Máiestatem Lis erat inter *Mariophilum* Principis affectum & Imaginem de bivio, sed ubi disparibus votis, reluctantibusq; miraculis, non bene trahi videbatur currus, mutare sententiam in suâ causâ cogitur Vladislaus, nihilq; sibi excipit præter sola gratiarum dona in Imagine. Comitem se Diva Icon Vladislao hinc ultra non dedit: (*hic sistendus Eqvus fluitantia contrahe lora:*) ne à comitatûs dominio Maiestas vilesceret. Interdictum locale. ipsum fulminavit cælum ut à Sacris cessare debuerit Vladislaus. Magneticum opinor fuisse hunc montem, qui ferreum Belzensis sagittæ ac si sentiret hærere adhuc in livido Imaginis vulnere telum, tenuit nec dimisit. Moralem ex mora hîc didicit scientiam Vladislaus, dum conditionem possidentis stare vidit pro *Claro-Monte.*

Vladislaus Dux qui de Russia intendebat S. Imaginē Opol: transferre miraculosè cogitur in Monte ... claro relinquere.

 Ancho-

Anchora spei sic adhæsit radicitus monti, ut nec sæcula hinc amovere poterunt: *Tybur argæo positum colono*
Sit meæ sedes utinam senectæ.

Horatius.

Montem pietatis in Monte-Claro erexit Maiestas Mariæ, dum Parthenium locavit in Imagine dotalitium ex *Summis miraculis.* Excessum è vitâ inter mortales aliter non corrigebat Curia Maiestatis suæ nisi novo vitæ miraculo. *Mare mortuum* sæpe commovit hæc Neptunia Virgo, ita ut eijcere cogeretur ad portum vitæ cadavera *Infernosq; cies latebroso à carcere manes.* Exercere opera vitæ in assumpto corpore exanimatis imperavit non semel mortalibus, (*Sydereos poteris penetrare recessus. Vndiq; felices, revocare in corpora manes*) ut Maiestati suæ administratorios de ipsis fecisset Angelos. Pyratam maris mortui mortem ita huic quandoq: alligabat monti, ut non posset portare lapidem ad ostium monumenti. Vacua sub dominio MARIÆ monumenta extiterant solis non nisi MARIANIS miraculis plena. Vitâ functis more Regum functionem munerantium, advitalitatem in bonis vitæ per novam animi intromissionem conferebat. Funera in fænora commutabat, jacturam vitæ cum fænore diuturnioris annositatis recompensans. Vltimam vitæ periodum extremo halitu oris effatam Princeps oratorum MARIA novo pneumate in mortalibus adornabat: ut haberet redivivos pro Maiestate sua in Montis Clari Capitolio Tullios.

Maiestas Imaginis S. ex miraculis. in Claro Monte.

Mortui suscitantur ope Divæ Virginis.

Portentosam Transfigurationem Imaginis non potest non mirari in dies CLARI-MONTIS Thabor.

Quam quondam magnæ statuam posuêre Dianæ
Proponunt oculis pegmata nostra ---
Templum ingressuris, subtristior esse videtur
Iratoq; nimis torva supercilio
Verùm eadem auersis extat gratissima vultu
Non dubia oblati signa dat hospitij.

Crebræ mutationes ad mirãdæ in Imagine S.

Maiestatis suæ accomodatura genium subditorum captui, mutat vultum non animum. Terret vultu ut conterat in animo, jocatur ore, blanditur fronte ut Serenitatem Maiestatis suæ declaret. Iridis an iræ imitata mutabilitatem alternat vices Maiestuosi vultûs sui *Mille trahens varios adverso*

verso

verso sole colores. Hîc cæcorum invisibilia opera, lumine gloriæ præmiantur: hîc liber passus non fictis conceditur Claudianis: hîc lunatica cerebella melius sapiunt: hîc chalybei mollescunt compedes, & quasi allisi essent ad montis lapidem, rumpuntur in fragmenta: Ipsæ catenæ quod sævire auderent in liberos, catenantur in pænam ad Aram MARIÆ. Hîc naturæ corrigitur error; ubi pro monstrosis gemellis in gemmas regeneratam reportant genitores prolem. Hîc excandescunt in fervorem Maiestatis *Flaminij*, qui flammis ignivomis adusti, nec fomitem se sensisse testati sunt ope vestalis MARIÆ. Millenos Scævolas hîc indigitant fasti, quos edax Vulcanus, nec in ungve ausus lædere. Fistularum plumbeus grando, cui intestino odio intestinorum arcana rimari commissum erat, sæpe irritum cessit in ictum imo in lentem resolutus nimbum stillabat non vi cadendo: *Silent quandoq; fistulæ ad vocem MARIÆ.* Reliquiæ damnosi diluvij fluviatiles aquæ, humano non semel Crapulatæ cruore, ne tanti facinoris darent post se vestigia, in imo profundi celant casum, nec suũ Euripus dimittit Aristotelem. Sed nec hîc sicco navigavit pede Serenitas MARIÆ, ad motum aquæ movit quos fluctus tenuit. Cælum ruere crepitante trisulco fulmine in Montis MARIANI culmen non semel credebatur, sed Laureatum Mensæ Cupressinæ caput, vagum semper retrusit fulmen, & in idipsum propria retorsit tela: *Sumarium miraculorũ in Claro Monte.*

Eliciunt ruptis è nubibus astra fragores.
Sedat olimpiacas unica Virgo plagas.

Famem infamem incusavit nemo: *acervus enim tritici vallatus lilijs*, non parcam dabat annonam:

Ignea flaventes exurunt astra novales,
Pullulat, ut perflat Virginis aura seges,

Ipse pestilentialis aër Elementum tabificum; Montis MARIANI non attigit valvas, nec serpere ausus per limina Divæ: noverat enim Curationum gratiam in MARIANO adesse Gazophylacio. Pestis hæc, eò quòd quasi in pæstanam ceciderit Rosam, more Scarabæorum invenit exitium;

Lethales quandoq; cient vaga sydera morbos
Virgo salutiferam semper anhelat opem.

Stygij Cives, Erebi mancipia, spreto inferorum incolatu, novas sibi sæpe intra septa humani corporis erigunt colonias,

nias, ſed per poſitionem pedum poſſeſſores malæ fidei calcaneo MARIANO hic exautorantur:

Et phlegetontæos impreſſo calce Tyrannos.
Tundit.

Hic prava Hæterodoxorum ſemina, quàm primùm in Petram MARIANAM ceciderint, areſcunt, centeſimum datura fructum in tempore ſuo: Hic abortivus Eccleſiæ partus, ſectariorum genimina, materno allecti ubere, legitimantur in Sacros Adoptionis Filios. Iure Gentium Imperat Maieſtas MARIÆ. Hic *Græcia* in gratiam recipitur, hic *Armenia* acæphala, Vnionem Orientalem præſentat, *Caputq;* ſuum dolet: hic *Scythia* lunatur, hic *Gallia* cantat, hic *Pannonia* Stephanoma ſubmittit, huc *Auſtria* Euchariſtico inſtructa viatico peregrinatur, huc *Imperium* Aquilam provocat, huc *Moravia* ſine mora feſtinat:

Gentes variæ confluunt ad Maieſtatem Mariæ.

Tendimus huc omnes varia de parte profecti.
Vidi ego Sauromatas, Nomadas, pictoſq; Gelonos.
Cryſpoſq; Æthyopas, fuſciq; coloris Iberos.
Armenios, Medoſq; bibunt qui Tygridis amnem
Atque catervatim Gallorum accurrere turbam
Ingenti ſtudio, ſpectacula tanta videndi.

Aurelius.

Pridem Purpuris inimica pericula: & hæc eſt unica magnorum infelicitas quod amplitudinem ſuam contrahere nequeant ut periculis abſcondantur. Hic *immane nefas triſte & miſerabile dictu, horreſco referens*: etiam Máieſtatem MARIÆ livorem Huſſiticum habuiſſe comitem; ac ſi hæc infamis volucris Sacram auri famem exſaturari non poſſet, niſi MARIANO ærario. *Spes nummi affulſit, fodiantur templa Deorum*
Impune æque ſuis, ſtatuæ vellantur & aræ
Sedibus - - -

Huſsitæ Prædones ſpoliãt Clarum Montem & Sacra omnia diripiunt, An. 1430.

Impius in Sacra Huſſus, (*Barbarus infandis quondam vixiſſe rapinis. Fertur,*) anſerem ſe fuiſſe memoriæ mandavit, qui propriâ pennâ æternam ſibi hic inſcripſit notam. Degenerem à Capitolinis anſeribus hic ſe probavit, factus trux latro MARIANI Capitolij. Etiam in venis Divino cultui mancipatorum quærebat aurum, ſed non invenit niſi reſolutum in ſanguinem - - - *& madeant ſtrata viarum*
Sangvine, mactentur clariſſima lumina Cives.

Huſſus interpretatur vernaculo vocabulo anſer.

Trucidãtur Relig ſervi Mariani in Cláro Mon.

Vt locupletior fierer ſceleſtus Pyrata, auro addidit innocẽtis ſanguinis

Abripiunt ſecum Huſſitæ S. Imaginem.

gvinis pretiū, inceſtavitq; devoto cruore limina templi. Nec hîc ſtetit rabies, *Cæde tumens ſpoliÿſq; ferox Conſurgit in auſus. Maiores.* Ad extremū Arcâ fæderis captâ, Imagine Parthe-niâ totam Felicitatis noſtræ in hoc Divino penu rapuit gazam. Sed eluſa impietas ducere quo vellet arbitrans ſacra pignora ſeipſam ſeduxit ſtuporemq; invenit in præda. Stitit gradū Auguſta Icon, nec poſt aurum abivit ſuū. Iugalibus dum urgetur quadrigis, teſtudinem agit. Caſtigantes in Imagine miraculoſam tarditatem Huſſitæ ad terram eam allidunt, & pro teſſerâ valedictionis, vice oſculi vulnus ſacro inſigunt ori. Avolat Rapax vultur relictâ prædâ. *Maturare fugam rapidiſq; capeſſere plantis. tuta parat.* advolant candidæ de nido expilato cuſtodes corporis Mariani Aquilæ: imo par turturum gementium præpeti accurrunt volatu. reliquiæ candidi ſangvinis quem non exſuxerat helvo Huſſus ſeſe effundunt, ut tanquam Purpurati proceres Læſam Maieſtatem Virginis intronizent ad nativum Clari-Montis ſolium. *Succedunt alacres operi, tolluntq; per auras,*

Sanguineis lita membra notis - - -

Ne quid de Sacrilegorum piaculo manſiſſet in Imagine tanto facinori compatiens terra lacrymam ex inopinato elicuit: ut elueret. *Fons eſt ſilvigeri vitreus ſub vertice montis.*

Hinc properans tenui, murmure prata lavat.

Sitientibus Claro-Montanis Tantalis, maternam in Imagine videre Faciem, ipſa tellus præter naturæ ductum libavit aquæ potum. Feſſam ſe ſub pondere Divæ Iconis ſentiebat terra ita ut ſudare videretur. Non hîc fabuloſi in Hypocrene MARIANO adaquātur Pegaſi ſed ſoli Deſideriorū viri.

At me nunc magni Heroes magniq; relictis
Vrbibus, inviſunt proceres, gaudentq; liquorem
Et guſtare meum, & ripas habitare virentes.

Galenorum liquida Pharmaca hic ſorbet infirma oculorum pupilla: *At non interiêre tamen ſimul omnia nam fons*
Affectis præſens oculis, medicina remanſit. Brixius.

Tagumne dicam hunc MARIANVM laticem? PROBATICAM potius ſtagnaſſe arbitror PISCINAM in MARIANO fundo, ubi capiuntur funduli laxos ſæculi faſtidientes lacus. Vnâ cum fontis venâ emerſit ibidem *Domus Probatica*, ut primus Religionis fætus candidvſq; partus genialem Bapti-

Uno ſtadio à Claro-Monte miraculoſe immota manet S. Imago.

Eÿciunt S. Imaginem de curru & faciem gratioſiſſimā ſcindunt.

Religioſi Claro-Montani qui uti nunc in tantæ cladis miraculoſe conſervati S. Imaginē de ſpotice tractatam reportāt ad ClarūMontem.

Fons miraculoſe erupit ubi Icon Sacra ab Huſsitis relicta.

Brixius. Hunc fontem inviſūt peregrinantes.

Fons medela oculorū.

In loco ubi fons erupit Domus Noviciatus extat.

ſmi haberet lympham. Obliviosus hic rivulus eſt; ſed non niſi memoriale ſæcularis ſitis perdit. In magnum jam excrevit fluvium, in quo Olores Candidi moribundi mundo dulce melos Chori pſallunt. Ibi *Educationis Domus* erigi debuit, ubi *Cupreſſinam Iconis ſuæ* pro fundamento poſuerat Arborem ab Iconomachis relicta Huſſitis *Fundatrix MARIA* Prope *Delon* extare fontem *Palmam* vocitatum aſſerit Lyſander: nec primus Fontis noſtri alveus ſcatet aliter, niſi Palmis PAVLI novellis. In Paſchate rapta Virgo ſubſtitit ubi hodie incipientium Colonia: eodemq; Sacro die ebullyt è terræ ubere fons hic, quid mirum ſi non niſi Paſchales ARÆ MARIANÆ de ſe profert Cereos, etiam in CORONATIONIS Triumphum totos ignitos. Ne mirare Sacratiſſima MAIESTAS me Tuæ Gloriæ Oceanum unico concludere fonte: ibi enim ut potè in limpidiſſimo puteo, omnium mirabilium Tuorum tranſparet Epitome.

In Paſchate Huſſitæ expoliarũt Eccleſiam, C. M. C.

Et ne quid ad tam *Auguſtæ* CORONATIONIS deſit MAIESTATEM; novam tibi NEOCORONANDA REGINA POLONIÆ erigo *Rupellam* de meris oſſibus STANISLAI OPOROVII ante Coronationis inſignia moribus Regum antiquis viſitandam. Hic eſt, quem *Polona Thebais* magnæ ſanctitatis opinione illuſtrem; Religionis Pauliadûm ſydus, Miraculorum gratiâ conſpicuum, Puritate Angelicâ præclarum Integritate vitæ corruſcum, Aulæ MARIANÆ quondam *Tullium*, Pietatis cibavit lacte. Ingredere ſepulchrum nulli hactenus patens, revolue hæc ſemina, & de cineribus eius Feſtivos in Triumphum Tuum excita ignes. Dealbatorum oſſium ejus candor, Scabellum ſit eburneum Pedum Tuorum. Fac cum Tuo cliente charo, cultûs Tui *Miniſtro*, Menſæ Tuæ Thaumaturgæ Alumno, ut Divi pulveres eius de occulto Terræ ſarcophago ſe ſe hodie effundant ſub Pedes Tuos jam jam ad CORONATIONIS accedentes *Thronum* quos de pedibus in nos excute Tuis.

Religionis Paulinæ in Regno Poloniæ Staniſlaus de Oporow miraculis clarus.

Tot jam miraculorum ELECTA calculis viſâq; more
PATRIÆ Crypta STANISLAI,
VENI De LIBANO
CORONABERIS.

CORO-

CORONA CIVICA
MAIESTATIS MARIANÆ,
Ex aureis cæli Civium fragmentis elaborata.

SENATUS, POPULUSq; ROMANUS SERVATRICI CIVIUM, CORONAM:
Causa superpositæ scripto testata coronæ Ovidius.
Servatos Cives indicat huius ope.

Aurum probatum, effata sunt Mariophila, quæ non mens plumbea sed Iovis parturivit cerebrum in Coronamentum MARIÆ MAIESTATIS. Quot PATRUM dicta, tot digna ad Coronam assumpta, quot laudum Partheniarum incisa, tot aurea frusta, quot Trophologici textus, tot intertexta Coronæ Marianæ aurea grana. Ductile aurum est, Sacra edicta pro MAIESTATE Cælorum Reginæ. E *Catenâ Aureâ* Aquinatici Herculis non vulgare pondus accessit CORONÆ, tunc quando auro Notandum Sanctior Eligius, THOMAS addidit fragmentum: *Imperialis Dies* MARIA. Iam Critica evanescite Diaria, ubi Serenissimæ *Diei* novus illuxit intercalaris. Ægyptiacos, fatali infortuniorum fluentes Crysi quos ipsum verè serviles notat vocabulum, *Imperialis* Dies jam corriget MARIA. Sapit MAIESTATEM hoc Thomæ dicterium ex *Imperiali* Ephemeride, alibi idcirco melius collocari non debuit quam in Coronâ MARIÆ. *Imperialem Diem* hũc inter Festiva primum, ipsum colit Cælũ, & tunc se vel maxime observare credit, dum pro MAIESTATE Imperatricis suæ laborare non cessat. Ab aureis Chrysostomi faucibus, nihil non aureum: Miram in ore ejus *Electa* Princeps invenit Aurifodinam è cuius venâ non vile eruitur fragmen: *Aula Regis æterni* MARIA. Ore cudit MARIANUM Chrysostomus Diadema, quod ut politum reddidis-

S. Thomas Aquin in Opusc.

Ioan: Chrysostomus.

didiſſet, linguā auream adhibuit. Aulam dixit Aureus Vates ut Coronæ daret apparentiā. Non bene Corona ambulat, ſi pediſſequam non habeat *Aulam*: hanc ut cælum fæderatam haberet *Magni Conſilij* Angelū fecit quondā emiſſarium. Placuit Infanti Numini Aula hæc, pro Reſidēte ad latus ſe dedit ei novem Menſibus. Olim Damaſcena tellus non niſi lutea fictilium artifex, nunc Damaſcenus terræ ſuæ Patritius totus aureus, non ahæneum ad Sacram Coronatæ Maieſtatis Cydarim addidit metallum: *MARIA eſt Rota humani generis ſub Tartara lapſi*. Modum Coronæ daturus, Rotam ponit pro idæa Damaſcenus. Auream orbitam vertit in Coronam, ut non ſecus ad Coronationis aſcenderet faſtigia, Sua Maieſtas niſi de Triumphali Curru. Malleus Arianiſmi Athanaſius, tam diu in incude malorum pro Corona *Theotocon* laboravit, donec aureum conflaret dogma. *Rectæ fidei Sceptrum eſt MARIA*. Fractam in minutas partes tot ſciſſuris Heterodoxorum Fidem, in unam collegit maſſam & ne, tanti valoris monile perfida depretiaret impietas, in Corona MARIÆ appendit Athanaſius. Sceptrum dedit in Coronam, ut ex puris Regalibus inſignijs coaleſceret Imperatoria MARIÆ Tænia. Ne regnaret amplius deſpotica in Oriente Hæreſis, Sceptrum illi eripuit Alexandrinus Pater & uti Sacrum ſpolium obtulit in Coronam. Ex aſſe Compoſitor Tyaræ MARIANÆ Iuſtinianus plus erogare non potuit, quàm dum dixit: *Moneta Dei MARIA*. Adiecit peculio huic VNITATEM VERBI, Dives *Numen*: nec mirum, ſi in ſummam ſummarum excrevit Dignitatem. Totam ſe expendit *Vnitas* VERBI: ut hanc monetā acquireret. Solidiorem ut effeciſſet Coronā, cudit monetam MARIANÆ Aulæ nūmularius Iuſtinianus. Non unā ille accēdit Lucernā utpote, Cultûs MARIANI Faber, ut hāc inveniret drachmā, novà Inventione fabricaturus de eâ Coronam. Pretioſum ſilentij tempus frangit Aſceta Dionyſius ut de fragmine vivæ vocis ſuæ, annectat particulam *dicti* ad Coronam: *Abſolutio delinquentium MARIA*. Nihil magis MARIANAM integrat mitram, quàm dum minimū etiam de plebe fragili cooperit Capillum. Servire capitibus non ſævire in capita MARIANVM eſt. Perficit circulum Coronæ, punctū veniæ. Fulgor MARIANI Diadematis ſi quando emicat, certe hunc non inflammat in delinquentes bilis. Penſate verba notate myſte-

S. Ioannes Damſcenus.

S. Athanaſius.

Laurentius Iuſtianus.

Dionyſius Carthuſ.

mysteria Ambrosij; qui uti Ecclesiæ argumentosa apis, non aculeū sed acumen infixit Coronæ: *Gemma cælestis MARIA.* S. Ambros.
Nemo gemit sub Monarchia talis Coronæ, in qua Gemma cælestis imperat. Roris gemma labor, felicius cadere non potuit nisi in Coronam. Gemmā non adamantem ex Episcopali annulo dat in Coronam Ambrosius: ne Coronata Imperatrix ad vota Supplicum foret inflexibilis. Nec desunt collectæ Anselmi opes ad Coronæ opus: *Arca pretiosissima,* S. Anselm.
quæ excepit totius Sanctificationis thesaurum MARIA. Non dimidiavit pie prodigus partum labore ærarium: dum & ipsam clavibus Ecclesiæ subicit Arcam. *Arca* hæc totum Divinitatis sine numero Pretium insumpsit in Coronam. Theomusa Claravallensis Bernardus, ad Sacram Factionem Co- S. Bernar.
ronæ, aureum addidit votum: *Respublica omnium gratiarum MARIA.* Cudunt cæca fata aliquando Coronatos sine arte Fasces & ideo mensuram capitis jam excedētes jam non adæquantes: ea sola sinè notā imperfectionis Corona, quam format: *Respublica omnium gratiarum.* Quot gratiarum Divisiones tot fragmenta, totq; appendices aurei, Coronæ Marianæ. Pallescat aurum necesse est, ubi Virginitatis Illibatæ Aureola, Maternitatis aucta dote potiorem sibi seligit locum in Corona.

Gratia Virginitat. & Maternitat prærogativa componunt Coronam.

Everberabat subditorum oculos: intuitumq; plebis perplexa Trino Deorum Iovis, Iunonis, Minervæ contextu indomiti Domitiani Corona: ast MARIANVM meras spirat Gratias Diadema.

Domitianus Cæsar ex trina effigie Deorū Coronā habuit.

Absit & Præservantis gratiæ clenodium iacere steriliter in Maiestatis Marianæ deposito, Coronæ primam constituit partem, ne Conceptionis punctum maneret non Coronatum. Pacta Coronas firmant, hæc sola extra pactum ADÆ meruit Confirmationis Gratiam. Purgatur aurum Coronarium igne: hìc nec fomitem adesse permissum. Ne minimus etiam cecidisset pulvis in Coronam, de Damascena pulverulenta terra non petebatur aurum. Longas habere manus pro more Regum, non contentus Regnorum Hispaniæ Philippus, oculos Argi addidit Coronæ suæ, ac si non posset solis Beneficijs debellare egestatem populi, nisi haberet potentiā visivam in Corona.

Philippi 3. Regis Hisp: mysteriosa Corona. ex oculis composita.

Venit vidit & vicit Indigenarum terræ indigentiam in cuius corona oculorum aciem posuit Augustinus: *Multocula incomprehensæ Visionis MARIA.* Dioptricam exercere quid prodest diadematibus? & tamen non dedisset ca- S. August.

ſet caput ſuum Coronæ Rudolphus niſi huic diaphanus in eſſet tubus. Quis valor ex obticâ Coronæ? niſi quod uno conſtet groſſo vitro. Quæ exigentia ocularis perſpicilij in Corona; niſi fors ut rectum ad Thronũ monſtret iter. Oculatam Coronæ Marianæ nemo non vidit ſtructuram qui ex reſpectu ſuæ Maieſtatis vivit. Libram iuſtitialem Cæleſtis Advocatiæ Agens conſlat in Compartem Coronæ: *Ius dirimens lites MARIA.* Nunquã in Capite nutant Coronæ, quas Cardo juſti & æqui roborat. Raræ proportionis figuram induit Regnantium Civica, ſi ſola libra *medium rei* teneat in Corona. Minutim cæterarum virtutum jam præinſertæ Cimeliæ ad Coronæ compartem concurrunt: ſola Iuſtitialis libra medietatem componit Coronæ, Ac ſi ex meris Diſtributivæ conſtaret partibus Coronarium Maieſtatis Divæ monile, ita Sacrum ejus perfricat caput, ut nihil cogitet niſi de præmijs clientum. Non prævisis meritis diſpenſat dona, ne moram habeat, meritorum expectando prodromos. Primam Iuris abſolvit tunc, dum per exemptionem à culpâ, libera evaſit. Litem compoſuit ſed *pœna capitis* ſerpentẽ mulctavit. Cauſam Primam Libens admiſit, ad Corpus ſui Iuris, eamq; novem mẽſibus agitavit. Partes cõpoſuit ſed homogeneas, ſine reſpectu proprij ſanguinis. Cadẽtias delinquentium obſervat ut relevet, ſuperarbitrum agit, dum arbitriũ humanũ peccat. Et Portæ Cæli in Coronæ intrant Fabricam: *Reſeramentũ Portarum cæleſtis Paradyſi MARIA.* Claves abdicat ſupremi Olympi conclave ut dè conflato clavium Coronam concludat in capite: Ipſi Cardines Cameræ Divorum, franguntur in partes, ut de ferramentorum fruſtis partem ſubſidij ſacrificent pro Coronâ. Recluſit cælum MARIA, ut *Statum Patriæ* ad Coronationis ſuæ evocaret Actum. Et ut Civibus Cæli innoteſceret Inauguratio, patentes dedit in portis Maieſtas MARIÆ. Stagirytarum dogma, quaſi Philoſophicum lapidem Coronæ Marianæ intertexuit Honorius: *Reductrix contrariorum ad idem MARIA.* O novam contrariorum concordantiam, dum liber primus Regum evulgatur. Poſt electionem liberam, nemine contradicente Coronatur Maria. Vetuſtate Conſumpta Sæcula fractaq; viribus, ultro ſe imponunt incudi; ut perennitatem ſuam Coronæ affigant: *Reſtauratio ſæculi MARIA.* Nihil habent de tempore

Rudol: Bohem: Rex ſupra coronam habuit tubum obticum.

S. Ephrem.

Ipſa conteret caput ſuum.

Rupertus.

B. Honorius Auguſt.

Petrus Cluniacen.

ſæcula

ſæcula niſi *nunc* eſſe in Corona Mariæ. Ita ferè expediebat, ut inſtans momentaneum Coronaret Tempora Frontemq; Maieſtatis ſuæ. Diu Oratores inſudant ut acumen dicant, Sola MARIANA ſvada ex tempore VERBVM gignendo Dixit. Menſas jeiunas reddunt Quatuor Tempora, aſt Nazaræa Menſa ſolis fruitur ſæculis. Divinarum diſpenſatrix, Gratiarum etiam extra Tempora confert Beneficia. Curſum conſummarunt ſæcula, in reliquo repoſitam ſibi ambiunt Coronam. Iam Quarti Sæculi curſus indefinenti paſſu per Clari-Montis petroſam progreditur vallem ſemper cum *Anno Gratiæ*, hodie tandem pervenit ad Coronã Mariæ. Novam erexit officinam in Coronæ Fabricam Hugo: *Armatura Dei MARIA: æmula Herculei iactatur fama laboris.* Pugnacibus ſeſe Cæleſte Numen diſarmat telis, ut vaſa iræ convertat in Coronam Honoris. Treugâ paciſcentis Numinis cum militantis Eccleſiæ populo ſtante, ne Arma cæli otio torpeſcerent; cedunt in Regalem victricis MARIÆ vittam. Inermem non putet Coronam Divæ diſſoluta Hetorodoxorum liga, cui ipſummet cælum miniſtrat arma.

Quartum ſæculũ currit Sacræ Imaginis in Claro Monte Czeſtoch.

Hugo à S. Carolo.

Iam mulciber arma. Præparat & Sycula Cyclops incude laborat. Vt ſe Devotum Mariano Honori feciſſet Triumphans Cælorum ſtatus, bellantia arma pro anathemate appendit in Coronâ. Finis coronat opus, Omega Deus: *Coronatur pulchritudine prolis MARIA.* Qui prius ore, Virginea coronabat ubera, jam nunc de Vnione Theandricâ Materno ſuperaddit Coronamento. Non caro pretio æſtimari voluit in carne Deus, ut planè totum ſui valorem reſervaſſet pro Coronâ MARIÆ. Divinitatem Circulatione ſanguinis naſcendo circumdederat, quaſi in modum Coronæ gigni voluiſſet pro decore Parentis. Totus Corona Deus, grandius caput invenire non potuit ubi quieſceret, præter MARIÆ: *ipſa ſuo diademate fulget.* Non glorietur fictitio ſerto Iſis Ægyptiorum Numen cui agreſtris Civium ruditas Ariſtas dedit in Coronam: maior ubertas Mariano acceſſit capiti ubi tota Divinitatis æconomia laborat pro Corona. Ac ſi Principum capita eſuriant Diademata: Arragonum Regnanti Coronam Panis Azymi ſuprema Eccleſiæ porrexit poteſtas: ſed & Mariana jam exſaturatur menſa hodie quàm Coronant Pontificiæ Bullæ. Spectaſſe meruit Croningæ

Claudian.

Syneſius.

Offi.:Embl.

Innoc: III. Petrum Arragon Regem corona Panis azymi in auguravit teſte marina

Vrbis

Vrbis Cistertium portentosam Coronationis Scænam, ubi quàm primùm Nycæna Incarnationis effata, edixit psallentium chorus: illico palmaris statua Nati in Aræ Theatro Deihominis de Capite suo Coronã reposuisse visa in Capite Matris. Solius Dei partus Coronatio est Matris, Incarnationis mysterio consũmari debuit. Movetur de capite Dei Hominis Coronæ orbita ad Sacra VERBI CAROFACTI dicta, ac si motivum esset Incarnatio Filij ad Coronationem Almæ Parentis. Corona Herculis nomen perplexum est Diadematis: imo ventorum ludibrium ex Populeo complicatum Folio, sæpe Corona Herculis laborabat capite quam etiam minima Zephiri aura uti leve folium fecit deciduam. Cadant hodie Herculea ante Thronum Parthenium Diademata: nec amplius sua erigant capita, ubi Regnatrix cæli Sacrâ Populi Romani redimitur Civicâ. Non hic locus Foliorum quæ proscribit de arbustis Auster, solis illa redimitur folijs quæ docta Floridaq; Patrum inservêre Dogmata. Ex frondoso quercùs serto Satyricâ Martis fuisse Coronationem colligimus: imo prisca Gẽtilitas ut Martem Coronatũ redderet, fecit quasi ferã sub Silvestribus querceti latitantem insignijs. Coronent sylvæ fabulosa Martis delubra, ad Marianæ Coronationis Schema sufficit habere magnos SILVEIRAS: Sanctæq; Sedis SILVESTROS ex quibus non unũ cecidit folium in Coronã Mariæ. Catholicissimi Regni probitas probam dat admirandi Diadematis de proprio fundo. Vomere colendo agros, peragratis sulcis excolitur sculptile Parthenîum summitatẽ cuius Sonora Coronabat nola impulsumq; dedit ut Coronata nuncuparetur statua. O Terram non cadmeo semine satam quæ Divos gignit manes.

At tu qui terram dicebas, desine falli
Non terra at semen Religionis erit.

Addidit sonum Marianæ Civicæ Magnus ROMANORVM CIVIS Coronator ex asse Imperatricis Divæ Illustrissimus Comes Alexander Sfortia, Canonicus Sancti Petri in Basilica Vaticanâ Primusq; de suo ærario in dissito Lechicæ oræRegno Coronam in Sacro Imperatricis Cælorum sonare fecit Capite. Vocalem sui famam reli quit Pientissimus Comes, quæ ne per vulgarem plebem & aures sed per Augustissimum Divæ Parentis volitaret caput vestigium Coronarium in eodem supplex posuit. O Electum Alexan-

Germaniæ superioris urbs est ubi intra solennia sacrificij ad prolationẽ: Et Verbũ Carofactũ est.

Iesuli statua visibiliter deposuit Coronam & in matris statua eam collocavit teste Hæfter hac libij.

Antiqui coronabant Herculem Deum folijs ex arbore dicta Populus.

Martẽ antiqui coronabãt quercinis folijs.

Silveira & Silvester scriptores Mariani.

Gienni in Hispania exarata Icon B.M.V. campanulã loco Coronæ habens. Vincentius Gvinisius.

Imus fundator Coronandarum imaginum Ill: Alexander Sfortia Comes decuius fundatione Corona præsens Claro Mon*tanæ Imagini oblata*

Electum ALEXANDRVM? qui post fata etiam suæ non abdicavit CORONÆ. Posthumus suæ fortunæ imperat, & Diademata curat: *Serpentem* suum Gentilitium à virulento angue Paradysi degenerem fecit: ille Originalis Innocentiæ serto spinam implectere voluit, ut pupugisset, hic Originem dedit *Autor* CORONÆ MARIANÆ sine aculeo. Reptantem à longinquo SFORTIANVM *Colubrum* sub Tuum Diva *Parens* admitte calcaneum qui ad calcem Taumathurgi Tui MONTIS venit cum *Coronâ*. Apparent vestigia ejus, in hâc Tuâ Petrâ, olim linceis Salomonis oculis visu difficilia: nam post se CORONAM relinqvunt. Initium signorum suorum fecit hic ALEXANDER in Delicio ORBIS & VRBIS Principis Apostolorum Panthæo: *Serpentes tollet* & ut sibi ad ulteriorem Coronationûm Progressum, sterneret viam, Sacra Primò accessit limina, ubi Apostolorum Primas Primam præripuit Coronam sub VRBANO VIII. pro Imperatrice Aulæ Suæ Apostolicæ MARIA: ne sedes Capitis eius vacaret. Infinitarum capax CORONARVM Diva, millenas in suo Capite hodiedum, per nationales Orbis Ecclesias legit Diadematum Apices dictante ALEXANDRO SFORTIA. O Fortem SFORTIANVM, majorem magno ALEXANDRVM? qui dum Augustum Coronat Caput, nodum Gordium imponit, ut CORONATA MAIESTAS, non possit, non meminisse sui. Xerxi abblandiebantur sua Somnia, cui non satis erat se Coronatum Somniasse, etiam Coronam suam in proceram toto late orbe diffusam excrevisse arborem, vidit cum sapore in sopore. Crescet in immensum hic Civicus MAIESTATIS MARIANÆ Honor: ad ultimas ibit oras:

Pro primo B.V.M. coronata est in Basilica S. Petri Romæ ad huc stante vitâ Fundatoris pijssimi Alexand: Sfortia.

Per variarum Nationum Ecclesias Coronatæ sunt Imagines B.M.V. ex Fundatione Sfortiana.

Xerxes.

Illam fama vehet trans æquora, transq; remotam,
Thætidis eluviem. - - - -

Claudian.

Trahet Coronæ magnitudinem ad Catastas usque osmanicas, ubi Orthodoxus cum gemitu inaudiet populus. Corona hæc Capitis, etiam in auribus erit credentium, quos extrema tenet Thulle. Pertinget & ad *Taurica* ultra Borysthenem Emporia, ubi venales Christiádum taxantur animæ & inter Compedes mancipati Catolicismi resonabit per plateas, Vicos, Castella, Vrbiumq; Prætoria: miscebunt gaudio planctum: & tanto Cordis se exhilarabunt jubilo: quanto dolore premuntur ex servitutis iugo. SCY-

THA reſciet: & arcuatum nervum de collo debilitabit & deponet. *INDVS* intus conſolabitur. *ARABS* ARAM VIRGINIS Thymiamate adolebit &adorabit. ANTIPODA, ac ſi in pedibus aures haberet, inaudiet; Caputq; ſuum inclinabit. *HINENSIBVS* Mare dicet *Confutiumq;* de Altari ad pedes Coronatæ Cælorum Principiſſæ movebit. *COLVMBANI* novus mundus, ſine felle gaudebit. In *GALLIAS* Cultu MARIANO ſummè redolentes, hoc CORONÆ ſertum, odorem ſuum ſparget, Floremq; Poloniæ peregrinum inter Lilia Pariſienſis campi virentem recreabit. Scintillam Orthodoxi Luminis inter ANGLICANA abdita Fulgore ſuo illuc ſeſe effundente accendet. Nec *GOTHVM* ſuus CORONÆ MARIANÆ nuntius fallet. *IMPERIALIS* ſemper VICTRIX Aquila â die CORONATIONIS MAGNÆ DOMINÆ totam obumbrabit expanſis Alis ſuis Othomanicam LVNAM: & amplius hoc fatale Sydus non dabit Lumen ſuum. ROXOLANIS Frigens VRSA ignivomum referet CORONATIONIS applauſum. Non præteribit hoc *Romanum Sacroſanctum inſigne* & Acephala Heterodoxorum Dominia ibitq; per aures & ora: ibi tamen non ſubſiſtet diu, ubi *Caput* deeſſe videt. Extra Sphæram Eccleſiæ poſiti, quid mirum ſi CORONÆ MARIANÆ rotunditatem obliquo proſpiciant oculo. CIVICAM hanc de Flore *Baccarim* dicto Heterodoxe puta plexam eſſe: cujus Sympathica virtus Theoninum molaremq; dentem Tuum, vatinarum quoq; in ſacra odium conteret. *Cingite ne vati noceat mala lingua futuro.* Mordaces, doloſaſq; linguas ſtupere facit, ita ut quas in Divos explodunt Satyras, eaſmet in ſeipſos retorquere coguntur diras: *Sis procul, & Divis parcito lingua procax.*

Olim Coronæ fiebant ex Flore Baccarim pro vatibus contra obtrectatores.

Ovidius.

Feret Prothoeremiticus ALES Coronæ MARIANÆ Adoream & per *Centumcellas* quondam Thebaidis noſtræ Aſceteria, portabitq; ad Primitiva Sacræ Eremi nemora, jam coronatæ ARBORIS Cupreſſinæ aureā virgam, cui Thæbea Palma Eremitorij Præſes totam ſolitariæ ſylvæ, *Inſignes hederas & Delphica ſerta reclinans* ſubdet Rempublicam: *Impera nobis.* O quantâ Civilitate felicem excipient Nuncium Civicæ MARIANÆ, mundanorum deſertores? nonne ligatam ſilentio Aſcetico linguam in hæc dipſenſabunt verba.

Corve ſacer, longâ ſuperis gratiſſime vita,
Seu Tu ſponte venis, noſtri præſagus Honoris.

Seu

Seu Pater Altitonans, Cælo Te misit ab Alto.
Adsis, & tanto fortunes omine servos.
Tu gentilis Honor, Cognomen Nobile nostri
Tu generis, Te nostra ferent, insignia semper
Parq; Aquilis, toto venies victricibus orbe.

Solenne fuit Galliarum Principibus Regales Capessentibus fasces, inaugurationis suæ Calendis, non tantum eos quos infame piaculum in obscurum detrusit ergastulum, Manumissionis perdonare veniâ: verùm etiam volatiles acanthides, sonorasq; cicadas interclusasq; Craticularis caveis altilia liberæ donare auræ, an, *ut sub novo Principe, nova libertatis nascantur argumenta*, an, ut Cororonati Principis per convexum orbis volitantes, Honos decantarent aves. *Picta cohors avium dulci ferit aera cantu.* Hâc libertatis prærogativâ veluti Dædalæis usus pennis Corvinus noster, CORONÆ MARIANÆ specimen, per varias aëris Regiones garrulo promulgaturus ore, præpes evolat hodie, ut suo PAVLO in Nepotismo superstiti, novam de mensâ Coronatæ Maiestatis afferat solatij Portionem. MACARIOSq; Eremi collegas, ex dietæ Regularis inedia totos macros maceratosq; reficiat. ANTONIOS Magnos, quibus monstrosos usitatum est domare Hyppocentauros, dimidioq; cum suo Anachoretâ Primo, vesci Pane, dimidio etiam Gloriæ præmiet. ARSENIOS quibus Eremiticum Lignum scientiæ, novam in dies vigorositatem, ad incorruptibilem planè vitam dare credebatur, uti Annorũ victores coronet. Ne tam Festivus Coronationis Dies, solitis ad communem lætitiam careret Theatris, adsunt *Leones* PAVLI; in cuius Theatro Mausolæi sic concertare visi, ut etiam ipsam Nemesim sepelirent. Adsunt *Magni ANTONII Hyppocentauri* lingvâ humanâ cum Antonio certantes, Adsunt *FRANCISCI* cognomento Pij Familiares cervi nunc cernui ad Sacros *CORONATÆ* Virginis pedes: *Erectoq; incumbit cernuus armo* Extende pennam Tuam Corvine noster ad *Palestinæ*, *Ptolomaidis*, *Maræotidis*, *Nytriæ*, *Syriæ*, *Cypry*, *Phænicıæ*, *Antiochiæ*, *Marmoricæ*, *Græciæ*, *Mauritaniæ*, *PAVLI Primi Ascetæ Eremitoria*, & *auspicatum Arborum* folijs inscribe *CORONATIONIS diem*: (*Incisæ servant â te mea nomina fagi*) ubi quondam venator Eremi Paulinæ & Venerator MARIANVS Divus *EVSEBIVS* pallabundus per Silvarum saltus, tot Beatas irretivit ad commune vivarium cepitq;

In Coronationibus Regum Galliæ aves de caveis dimittebantur.

Gramund:

Virgilius.

B. Eusebius Erem: Quorum erat Institutor D. Paulus Erem: fuit

feras, præeunte sibi *Catello* DOMINICI, AQVINATE [Collector in Conventus & cœnobia] cuius exoratu, venationis suæ clamorosæ à Suprema Sede Petri robur obtinuit. Prima venationis *EVSEBIANÆ* præda Beatus *BENEDICTVS* extra animales sensus [B. Eremitæ ex Ordine S. Pauli P. Erem.] totus extaticus: Beatus *STEPHANVS* Religionis Cœnobiticæ Angularis Lapis. Beatus *ZOROARDVS* è Polono Trione in Eusebianos incidens casses tantæ parsimoniæ extitit cultor ut quadraginta nonnisi nucibus, totum Quadragesimæ nucleum clauderet. B. *HECTOR* incurabilium morborum profligator, B. *ANDREAS de Nostre* magnus Tacitus Silentijq; præco. *B. EMERICVS*, *GASPARVS* non mirrham portans sed mira patrans, *B. VINCENTIVS Niger*, Cæli Candidatus. *B. FRANCISCVS Hanadinus*, *Thomas* Cognomento *Angelicus*, *MICHAEL de Varadino*, *BLASIVS* nullâ tabe corporis illibati læsus *B. LVCAS* Sacer LVDOVICI Regis Hungariæ Vates, cui ominosam de hoste spondens victoriæ Lauream, Tiliam repente & pampinos: protulisse, & floruisse fecit. Ergo levate Laureas de Capitibus vestris jam Collecti Cœnobiarchæ, & ante *Thronum* MARIANVM *de cubilibus Leonum, de montibus Pardorum* proijcite: nam quod CALIXTVS III. Pontificiæ adscripserat Tyaræ suæ hoc in MARIANA legite CORONA: *Omnes gentes servient ei.*

Cape omen Faustum ex Corona MARIÆ POLONIA. Fasces olim Romani, secures: Fasces ROMANO MARIANI securitatem Tibi ferunt. Hic Sacer Pileus, nec minimum civium Capillum cadere permittet. *Curia* Apostolica Totam curam Tui, inclusit in Corona. Intercapedo Sacræ coronæ impletur *Septem Collibus Vrbis*, ut Tibi novum de illis extruat vallum. Proceres Tuos, ut proceriores redderet, dedit CORONÆ Fastigium. In tres Status desinit Tuum Regnum sed à Capite Coronæ huius iterum crescere incipiet. Vt bene stent Tres Status Regni: hæc Corona erit Ratio Status. Ne *Aquila* Tua nimio solis, cuius lumine palpebra sua pascitur, lædatur æstu, Vmbellam hanc offert PRINCEPS Provinciarum ROMA. Parenthesis est Primi CAPITIS hæc Corona, quâ in Regno Tuo clauditur,

& *Fidei immunitas*, & *Patriæ salus* & Civium Integritas

& MARIANI HONORIS
MAIESTAS.

MAIESTAS

Sacræ Claro-Montanæ Imaginis,
Ex Privilegijs Summorum Pontificum.

MARE MAGNVM ingrederis Calame; & qui ad ſepiam natus: en dulces *Gratiarum* de PETRA *Eccleſiæ* lambis Aquas. In primam poſitionem Pedum Stadiodromæ VIRGINIS in Thaumaturgo Clari-Montis clivo-ſtatim ſe *Pontificius* effudit Tyberis adventanti lotionem Pedum paraturus. Vt ſolidaretur Thronus eius in Famoſo Regni Carpato, angularem Lapidem de PETRA Eccleſiæ Domina Gentium, Princeps Provinciarum poſuit Roma. VRBANO VI. Naviculam PETRI tunc moderante ſtitit hæc ſalutaris Arca in Monte Felicioris Armeniæ Anchoram ſpei datura puppi *POLONÆ*. Poſt inciviles Scythas, qui cruore Sacro VIRGINEVM opplevêre guttur, VRBANITATEM invenit in CAPITE Eccleſiæ. Calendas Viſitationis Montanorum Primus in Sacros inſcripſit codices VRBANVS, & tunc opportune factum eſt in *MONTEM CLARVM* veniſſe *Deiparam*; ut haberet de vice ſummi Sacerdotatûs Zachariam ſuum qui Viſitantem POLONVM Clima inſcriberet pugillari MARIAM. Prægnantis VIRGINIS Deiparæ officioſitatem ad Eliſabeth Prægnanus ex Nomine iure merito inſtituit VRBANVS. In Faſtos retulit Catharinam germine Svecam quaſi *Leones* Gothicos iugaſſet Triumphali Currui ad Primum in vallem CLARI-MONTIS ingreſſum.

Mare magnum ſunt nonnulla Privilegia Summorũ Pontificum

Sub Pontificatu Urbani VI. Imago miraculoſa ſtitit in C. M. C. An: 1382.

Feſtum Viſitationis B. M. V. per univerſam Eccleſiã inſtituit Urbanus VI; dictus antea Prægnanus.

Poſt Nervam Traianus, poſt ſextum VRBANVS Octavus auctior numero, Apoſtolicis favoribus non minor in Divam, ut adimpleret menſuram Nominis ſui, octo Beatitudinibus Beatiſſimus PATER regalizavit Iconeam MAIESTATEM. *Lauretanam Domum* erexiſſe creditur MAIESTA-

Urbanus VIII. plurimas gratias C. M. contulit.

Quatuor Pænitenti

arios Apostolic: cum usu Sacrarum Virgarum adinstar pænitentiariæ Domûs Lauretanæ instituit Anno 1625.

STATI in spatiosâ *Montis Clari* Area, dum quatuor Parietalium báculorum, adinstar Lauretanæ Domûs primus extitit Architectus. Inveterata labentis delinquentium Synderesis cubicula, ne casu graviore succumbant quatuor succolantia apposuit fulcra. *Athlas unus* sufficiebat olympo;

Distinctum stellis Cælum fert Maximus Athlas
Atque humeros oneri fertur habere pares

hic quatuorviratum creavit VRBANVS: noverat enim nihilum peccati onerosius esse gravitate olympi. Prævidit forsan Coronandam CLEMENTIS tempore Divinorum oraculorum Vates Pontifex Maximus in Sacratiori Clari Montis circo quatuor Scipionatos idcirco investivit Marechallos, qui Coronationis futuræ præirent prodromi. Ne plus ultra progrederetur cursus malorum, Summus Ecclesiæ Hercules in Foro Conscientiæ MARIANI Collis, quatuor posuit terminales Columnas. Sceptrorum vices agunt hæc Pænitentiaria Insignia & ne animalis appetitus dominetur rationi, imperant. Novellas plantavit Virgas in Montis tellure ut nonnisi portent fructum malorum. Ramos olivæ Candidas Pauliádum columbas de navicula PETRI emisit VRBANVS ferentes, Pacem cum Numine ferientes, Declinare â malo ut Citius discat peccans ingenium. Summus Orthodoxæ Palæstrita Doctrinæ per Regulam Virgæ Pontificiæ casum declinabilem docuit. Geometricam in Virgulto Pontificio imaginari liceat perticam ad abyssum peccatorum usq; pertingentem. Lanceæ sunt, sed non nisi cor pungentes. Culpant Stagyritæ ex angulari baculo inferendam pluviam, hîc veritatem sequelæ etiam serotina pænitentum probat lacryma. Olim nonnisi Agnellum Legalem; nunc & hædorum vitiosum pulmonem, digerunt tenentes in manibus baculos Pænitentiarij. Novos creaturus quodammodo *Equites* Supremus Ecclesiæ militantis Dux VRBANVS Virgas Pastorales dedit in hastas. Ad ferendâ, Conscientiarũ Sarcinam vocatis operarijs providit de baculorũ sustentaculis. A Sacris Virgis Virgilies nuncupari liceat: quibus non carmina, sed crimina corrigendi datus character. Quatuor arundines MARIANO Monti implantavit VRBANVS, quas non ventus, sed adventus peregrinæ plebis agitat ad laborem. Ante Coronationis Tragicæ Patientis VERBI Publicitatem præambulũ ex se dedêre

Quatuor Pænitentiarij baculi instar Scipionum.

Instar Columnarum.

Instar Ramorum Olivæ.

Instar Lancearum.

Instar Hastarum.

dêre Solymitanæ ceduæ Palmæ, hîc Pontificiæ arundines, Pænitentûm Palmæ, Contritorum Aureolæ, Pacificatorum Cordium oleæ, sese MAIESTATIS MARIANÆ Sacris inclinant plantis, sternuntq; iter ad CORONAM. Arundo hæc vim hami habet, quo Piscatores Apostolici expiscantur arcana delictorum apposito verme Conscientiæ. Ac si de Cortice ROSARVM excisa forent hæc Pænitentialia Symbola, silentium indicunt osq; claudere nata Divini fori Secretarijs: *VRBANVS Florentino de Germine cretus,*

-- huic Lilia Lemma

Et Rosa quadrabant, apibus gratissima semper.

Pacificum MAIESTATIS MARIANÆ ut reddidisset in Monte Claro solium Vicaria DEI *Sanctitas*, Potestate clavium, Pænitentiarios interclusit baccellos, clausulamq; posuit, ne unquam prodessent duellantibus. Placuit quondam *Aris* holocausticus victimarum Sanguis, sed non morticiniorum. Placabatur Numen Sanguine, sed non quem per duellum extorsit mucro. Clausa est Pænitentiaria Ianua fatuis digladiatoribus, ut pote qui non oleum sed sanguinem secum sumpserunt. Ne in Dominio MAIESTATIS suæ septiceps capitalium sæviret hydra Clavam Pontificiam Roburq; Præsulcum, concessit Hercules Ecclesiæ Maximus. Colossos, machinasq; memphiticas Honori Illustrium Virorum erigit grata Posteritas:

Pænitentiarij Apostolici duellantes non absolvunt.

Quis non suspectu attonitus mirabitur ipso.

Traiani immanes Antoniniq; Columnas

Atq; Triumphales Arcus, grandesq; obeliscos

Et tot Pyramidas, minitantes nubibus ipsis.

Aurelianus

ut maiorem apparentiam fecisset & MAIESTATI Partheniæ VRBANVS, quatuor obeliscos posuit, in supercilio MONTIS ad decorem. Non hîc VRBANI abbreviatur *Breve*, ut etiam aridos Pænitentûm irroraret animos, *plenariam* Apostolici Favoris effudit hydriam. Vnam diem ita fecit capacem, ut etiam ipsum Beneficum Numen cum suâ infiniti valoris latepatente gaza possit suo modo comprehendere. Vna dat dies, totam illiadem Gratiarum quod sæculis aliquando vix concessum. O Felicem consummatumq; Cursum; ubi unius diei iter ad salutis bravium. Crevit Imaginis Sacræ MAIESTAS & tunc dum hic Æcumeni

Virgæ Apostolicæ instar obeliscorum.

Plenariam Indulgentiam contulit uno die singulis annis lucrandam anno 1643.

meni

Idem pro Dedic: Eccles: plenariā 1642.

menicus Orthodoxæ Reipublicæ moderator, Aulæ MARIANÆ Zachæum plenario auxit incremento, addiditq; ad staturam, augmentum Gratiæ ab Alto: ne tantæ Aulæ tantili pumiliones essent dedecori. Involavit in *Cupressinum* Iconis Taumaturgæ tabulatum, *Apis* Pontificia: ubi dulcem sui ut reliquisset memoriam, Pleno *Encenia* Parthenij Sacelli dulcoravit favo. Atticas laudent Apes dulciarij, Hybleaq; mellificia; nobis V R B A N A sola dulcescit *Apis*, quæ MARIANAM *Vallem* consecravit in terram Promissionis melle fluentem. Ad majus MAIESTATIS ostentamentum, & Aligeros in *Aulæ* Virgineæ Servitoratum addixit spiritus, inflexitq; Angelos, in Cameræ MARIANÆ Ephæbos: noverat enim par Angelis VRBANVS, ex numeroso turbæ famulantis comitatu, MAIESTATIS magnitudinem eminere. Sed quid dico Angelos: imo totum libens traxisset *Cælum* supremumq; Poli axem, versus infimam *Clari-Montis* Regionem direxisset Summus ex Apostolico culmine, Summus ex Hyperdulico cultûs MARIANI studio VRBANVS Pontifex Maximus. Novâ arte scalam descendentibus in montis cacumine erexit Angelis, quam Confraternitatis distinxit gradibus. Nomen *Officij* Angelus est, idcirco ad Officium parvum Beatæ cursim absolvendum Angelicum necesse erat habere chorum. Parcite Administratorij *Aulæ* MARIANÆ Genij, quos in hoc Mariano loco per alligationem ad Aram vinculo *Confraternitatis* posuit VRBANVS. Et ne otiosa foret *Magnæ Principis* Aula, tales sibi adscivit pedissequas, quorum idem est esse in loco & operari.

Urbani VIII. Stemma apes.

Idem Archiconfraternitat: Angelorum. Instituit in Claro Monte.

Religaverat Pontificiam vittam suam & ALEXANDER Secundus, ex qua aurea in *Montem Clarum* prodiêre stamina Paludamentum MAIESTATIS VIRGINEÆ cingentia. Ille Genethliacum A V G V S T Æ *Pusionis Natale* plenario Gratiarum muneraturus Conhylio, ipsam Præsuleam vittam dedisse videbatur in crepundia Sacrasq; Fascias Nascenti Regali ex progenie Soboli. Ille Virgineos observans gressus, Visitantis MARIÆ Fatigium ad altius motu ROMANÆ Curiæ extulit fastigium, & tam magnum Politiei complementum de ærario *Ecclesiæ* complevit Donativâ Plenariâ. Ille *Pentecostale* Divinum Flamen, non uno Lustro durantium

Alexander II. Festo Nativitat: B. M. V. in C. M. C. plenariam indidit indulgentiam. 1493.

Idem Festo Visitationis ibidem plenariam.

Idem pro Festis Pentecost: plenariam.

tium Indultorum accendit, Festivos MAIESTATI in applausum daturus ignes. Ille ignitas Papali dono adornavit linguas, effecitq; ut *Vocale Divini Spiritûs Numen*, Munus, Supremi Aulæ MARIANÆ ageret CANCELLARII. Habet suum Maximus ALEXANDER Secundus Ephestionem habet Oratorem SPIRITVM REGINALIS MAIESTAS suumq; Facundum Cyneam. Gloriabatur *Pyrrhus*: plus sibi unius Cyneæ lingua quàm arma addidisse: idem effari liceat, plurimùm ex lingua Divi SPIRITVS ad suæ MAIESTATIS statum accessisse. *Plato* mella loqui credebatur, *Pericles* fulmina, *Cyneas* Rosas, *Hortensius* Gemmas: ast Orator Partheniæ Aulæ *Spiritus* loquitur pro MAIESTATE omnia. Si detonant crepantibus buccis oratorum Rostra *Alexandrum* Magnum, Illiada Homeri sub pulvino dormituri entem semper tenere solitum: tanto magis Sisyphæa *Clari Montis* Saxa de pariete Sanctuarij declamant ALEXANDRVM Secundum, qui ut dulcem sibi quandoq; conciliaret quietem, Illiadem Partheniorum mirabilium, revolvendo mente, Beatissimos ad felicem noctem, sic disponebat sensus.

S. Spiritus Cancellarius Supremus Aulæ Marianæ.

Olim ad Gregorianum Cantum è loco proprio, ad improprium transiliebant montium juga: sed nec pares GREGORIO decimotertio deerant Vires, quibus valeret certare cum montibus: eas tamen in Monte Claro aliter probare Sanctitati suæ non placuit, nisi grandia importando Apostolica charismata pro maiori cumulo *Montis*. Ille cadentem *Nativitatis Filij* diem elevavit in Honorem Matris, ut iterum apparere qveat in cunis sui Nati *Almæ* PARENTIS Gloria: Ibi plenum effudit Doni Iustificantis Puteum, ubi pleno infans Numen lactabatur ubere. Ille è Triduano ergastulo Resurgentis mysteria Numinis, vertit pleno jure, in Tripudium Gignentis Virginis. Vt altius evexisset Festivas MARIANI cultûs Calendas, etiam ASCENSIONIS Admirabilis Facultate Plenariâ adjunxit Ferias. Vniversali Sanctorum Panthæo ne quid deesse videretur, Beneficio AVGVSTÆ Dominatricis GREGORIVS addidit Gratiæ Plenilunium.

Gregorius XIII. pro natali Christi D. plenariã concessit in C. M. C. indulgentiam. 1591.

Idem pro Resurrect: Dominicâ plenariam.

Idem pro Ascensione Domini & Festo Omn: Sanct: plenariam.

Vas Electionis ex Nomine dictus PAVLVS Quintus, Pontifex Maximus plenam gratiæ & veritatis, hìc reliquit Vrnam, quam nec continuus evacuat usus, nec Tempus ab

Paulus V. perpetuam cõtulit pro

Assumptione B. M. V. A. 1608. sorbens cuncta exhaurit. Ex hoc *Honoris* vase emanavit ASSVMPTÆ MAIESTATIS in Cælum Roridus Triumphalis Arcus, quem non uno de Donis ac Datis Apostolicis in *Monte Claro* exornavit colore PAVLVS. Videre erat in hâc Pontificiâ Iride extinctam *Tonantis* in delinquentes iram, spectare erat obliteratas macularum noxas: & ex pallido Pœnitentum colore novum virorem. ASSVMPTIONIS aucturus pompam, mancipia peccantium evinculata præire fecit, ut appareret *Victricis potentia*. Ne gravarent onerat s sarcinis Triumphalem abeuntis Currum, in *Montis Clari* Foro sub *Potestate Clavium* eas reliqui & deponi indulsit. Et *Idem pro Festo Corporis Christi.* ut semper validas Vires Mons Sacer haberet CORPVS CHRISTI non sine GRATIARVM nervo addidit Pientissimus Præsul. Pingue satis MARIANO MONTI contulit Beneficium in mente PAPALI PAVLVS dum CORPVS *Idem pro Festo immaculatæ Conceptionis* CHRISTI cum plenâ Favorum dedit venâ & veniâ. *Conceptum* ex visceribus Causæ MARIANVM sine limâ oriundum Partumq; Divini ingenij, novo ut muneraretur Dono in VIRGINE Pontifex præmium obtulit de plenitudine Theandricorum meritorum. Excedere omnem Præmij Gradum, existimabatur illud IVLII Cæsaris præclare gestum, qui prope *Alexandriam* in fugam actus, omnium Regiæ Gazæ mobilium sponte incurius, Commentarium suum, per medium tranans æquor, manu in altum protensâ illime detulit. Et quis æquale valeret ponere *AVGVSTÆ MARIANÆ* indoli, quæ in *Conceptu* suo Comentarium VERBI per spumantem Paradysi Tygridem exportavit intactum. Non sicco pede pertransivit Festivam MARIANÆ Conceptionis Classem Pontifex, dum huic Comentario perpetuum inscripsit à culpa censum ex lucro me- *Idem pro Festo Purificationis.* ritorum VERBI. Accensus pietatis ardore in Parthenomatrem PAVLVS, etiam *Lumen Februum MAIESTATIS Purificatæ* Lumine Lustrali invisibilis Gratiæ auxit, fatua Phænomena expiatorio in malorum conscijs extinguendo forcipe. O lucidum naturæ lapsæ intervallum? quod *Luminare maius* Pontifex Maximus plenâ facultate concedit ad videndum. Noctes in Monte suo hîc insomnes agit vigil MAIESTAS Divæ excubans pro Ecclesiæ Grege, cui accendit tædas de PETRA Vaticana excussas silice. Ardent hactenus & non consumentur *in Montis MARIANI Rubo*

plena-

plenariæ facultatis faculæ quas Sacri Imperij Apostolicus eiecit Ætna, etiam Ethnicis & Publicanis non obnoxias. Legationis Cælicæ ad VIRGINEM revolvens Puncta, Legum, Divinorumq; codicillorum Custos PAVLVS Executioni solus mandavit Principalem & à Pænâ, & à Culpâ Articulum: dum Scenopegijs *ANNVNTIATÆ MAIESTATIS* Festis Plenariam indulsit reconciliationem cum Numine: ita sibi more Gentium expedire existimans, ut in favorem *LEGATI NATI* Gabrielis daretur amnestia delinquentibus. Hymæneus Sponsi *NVMINIS* cum Pronuba Humanitate Socia vitæ contractus, ut non haberet impedimentum ullum, à parte mortalium, PAVLVS Quintus & culpæ obicem & Pænæ demeritum ab assistentibus *ANNVNTIATIONIS* epithalamio removendum judicavit. Ita anymphicum *ANNVNTIATIONIS AVE* ut facilius caperet Paulinus Clari-Montis *Corvus* impedimentum linguæ sustulit Summus Pontifex. Parces Beatissime Pater, si Tuam exilis calamus pio ausu præsumit de mortali Sarcophago, immortalem exhumare Gloriam: Leones enim qui Thebæo PAVLO egesserant tumulum, ut foderent, nunc anhelant ut Te vel Tui Divam effodiant nunquam obliterandam memoriam. Animasti sæcula Divâ Tui Famâ, & Petrosum *Clari Montis* Caucasum in unum Coegisti lapidem, in Tui Perenne & æviternum Epitaphium. Cupressum, Sacræ Vrnæ Tuæ non apponimus, sed uti Gratus PAVLI Parentis Primi Nepotismus Palmâ Thebæa Tibi Parentamus.

Idem pro Festo Annuntiationis plenariam.

Septem Pontificias mensas, *Diva Altaria Phœbo* Plenarijs instructas dapibus, in Montis Clari triclinio instruxit *INNOCENTIVS* Decimus, ut ex opima Aulæ MARIANÆ Provisione magis appareret *MAIESTAS*. Decimus Sui Nominis Maximus Præsul, decimam, imo primitias non Frugum sed Apostolicæ messis posuit in Altaribus, *Altaria fumantia. Festa Iovi.* Aras quibus iratum placatur *Numen* vertit in pacificas arrhas:

Innocentius IX septē altaribus in C. M. C. ad instar septē in Urbe indulgent: concessit. A. 1652.

Iustaq; solventes in primo ereximus Aram
Littore sublimem.

Apolonius.

Novam Septicollem ut plantaret hîc VRBEM, Septem VATICANI Propitiatorij Aras cum Gratiarum Dote, pro fundamento contulit. Ad statum Innocentiæ quodam-

modo

modo revocare lapsum mortalium Genus conabatur INNOCENTIVS, postquam Reconciliatoria victimarum Pacificarum fundat Altaria:

Nos circum latices gelidos fumantibus Aris
Aurigeris Divum placantes Numina Tauris.

Idem Stationes cum Indulgentijs instituit.

Iucunditas Crucis nuncupatus INNOCENTIVS Dolorosæ MAIESTATI MARIANÆ hic assistere voluit ut septenam Convulsionem viscerum septeno Solaretur Sacrificio. *Crucis* suæ labaro addidit *Stationum* Divisiones, ut Devota Campania Populi armata precibus in campo Clari-Montis sua haberet stativa. Nec solum pro Aris, pro Focis etiam certare gnarus, mortuorum manes de lustrali inferorum flamma ad Altare Privilegiatum provocando. Innocentiam suam exacte probavit tunc, dum sæpe sæpius, innocuis manibus ignitos ab inferis exportabat usq; ad Aras Carbones. ROMAM ipsam credi poterat misisse INNOCENTIVS huc in MAIESTATIS Virginalis apparamentum, *dum septem altarium* Pegmata, Prima Decora PETRI obtulit colenda. Sed non sic ad Altare subsistimus, ut quiescamus meminisse Tui *Beatissime Pater*: imo Statio Tua sic ambulatorias Statistarum Tuorum movet voluntates, ut Gloriosa Tua semper percurrant opera. Fumant Aræ Tuæ Pontificiæ usq; hodie in hoc *Monte* Sacro Thymiamate & non sine Laudis Tuæ specialis Themate.

Altare privilegiatum instituit pro Defunctis.

Alexander VII. 12. dies in anno designavit pro lucranda indulgentia in C. M. C. A. 1664.

MONTIVM CVSTOS. ALEXANDER Septimus hinc Pastoralem non subtraxit palpebram: etiam *MARIANVM* in oculis suis terebat *MONTEM*: imo tot vigilantes vibrabat oculos in *MONTIS* nostri supercilium, quot excitantes inspiravit Gratias. Novum meridiem in Montis Clari Horoscopo ex Duodeno composuit Gratiarum Apostolicarum numero *ALEXANDER* Septimus: decebat enim ut Summus Ecclesiæ Titan, ipsum Luminis meridionalis meditullium *MAIESTATI* Thaumaturgæ offerret in splendorem. Ita se Pastor optimus Vigilem Monti Claro exhibuerat, ut etiam in Dormitione Assumptæ Virginis vigilaret Pontificiæ eius Gratiæ Custos.

Clemens IX. Pænitentiarios Apostolicos approbavit.

Resonat hucusq; *SIDVS OLORVM* CLEMENS Nonus, inter abrupta *Montis* nostri Saxosi: & tunc vel maxime in blandos se dedit concentus, vocemq; Canoram cum

pro

pro naturæ Cygneæ genio, mortuorum Sacramentum in Pænitentiarijs Apostolicis pro hoc loco approbasset. Nec tunc iucundum melos continere potuit, dum immortalem Parthenicum *Agonem* in mortalibus animare voluit & quasi ipsemet eo tempore, mortis premeretur debito, cygneâ voce exclamavit plenarios ratificando Favores.

Idem approbavit Indulgentias pro Assumpta B. M. V.

Ex Legatis à Latere in Regno Poloniæ excrevêre in CAPVT supremum *Ecclesiæ* CLEMENS Octavus & CLEMENS Decimus: sed hîc prius Legationis suæ munus auspicati sunt acsi ad MAIESTATEM Virginis missi forent. Ipsorummet Legatorum egit Patronam Thaumaturga Clari Montis Astræa, dum Conclave Sacrarij MARIANI intrarent: & ut Apostolico aliquando Coronarentur Fastigio Causam in instanti pro utroq; CLEMENTE decidit. Iustitias Regni iudicaturi ipsimet pro primo hic se sistunt termino *CLEMENTISSIMI* duo *NVNCII* ut Honoris debitum exolvant, & ecce in *Speculo Iustitiæ* Beato intuitu vident se Futuros *Naviculæ PETRI* Argonautas. A latere dum feliciter mittuntur maximi Oratores: hîc MARIANVM Cor rapiunt, ut hoc *Primo vivente* Corpus Iuris Canonici & informent & animent. Ex primâ in MARIANO monte statione & comparitione suâ, Delphicas non consulendo Cortinas Felici augurio Primam PETRI sortiuntur Cathedram, *nihil enim non ominosum ab hoc Parthenio Tripode, dum à suis consulitur Candidatis.* Legationis expeditâ Provinciâ, in propria Sacræ Romanæ Curiæ remeantes subsellia, summos Apostolicæ Cameræ Plenipotentiarios, Iudiciariosq; Areopagitas *AVGVSTA CLARIMONTIS* Odigitria MAIESTAS comitatur & Voto & Favore, ut vaticinium ad suam conceptum Aram, in Vaticano Electorali Theatro pro CLEMENTE Octavo, & demum CLEMENTE Decimo Regni Sui Nuntijs verificaret Electrix Pontificum MARIA.

Clemens VIII. & Clemens X Legati à latere in Regno Poloniæ sæpius invisût miraculosam Imaginem non sine omine Pontificiæ dignitatis.

Prima Novus mystes: *Alcidæ Templi Custos Aræq; Sacerdos* Nuncius Apostolicus postea CLEMENS Decimus dictus Incruenti Sacrificij libamina Sacrificaturus *NVMINI* Aram elegit hîc in Montis Virginei Sacello *ante tamen cunctos Iunonis Templa colebat*, sorte Superûm id factum nemo non credidit, ut qui Bullas Cænæ Domini, pro Vniverso Ecclesiæ daturus esset aliquando usu, non alibi quâm ad

Legatus Apostolicus postea Clemens X. dictus hic primitias celebrat ad Aram Thaumaturgam B. M. V.

Thaumaturgam *MENSAM* Prima degustaret mysteria. Omen erat Futuri Imperij Tyberio Sacratas olim victricium Legionum Aras sponte subitis ignibus collucere: Cur non Maximo *CLEMENTI* cui ARA Victrix MARIÆ præluxit Primitialibus ignibus ad Futuram Tricoronam Ecclesiæ: *ignibus imponit Sacris libamina Prima* Alpha characteris indelebilis Sacerdotalis hîc posuit in Tabulâ Altaris novellus Levita, in quâ ita profecit ut in Summum Ecclesiæ evaderet ex Cathedrâ Doctorem. Alter Antonius hîc primò Calicem Domini bibit, cui Divinior Cleopatra Cæli Regina totum Ecclesiæ Regnum aliquando gubernandum propinavit. Prima Sacrificij Dona remuneratura Almo huic Sacerdoti orbis Dominatrix MARIA, quot votivas tesseras Ara Sua numerat, tot suffragia, calculorumq; sortes se daturam, in Pontificium olim *CLEMENTIS* Decimi offerebat. Prius Capellanum MARIANUM agere voluit, postmodum Totius Ecclesiæ suo tempore Magnus Sacerdos futurus. An præsago Spiritu Coronandam prævidit Miraculosam Deiparæ Claromontanæ Aram, Consecrationem præmisit *MAIESTATIS* pro more Regum ad Altare. Primus ad Altare Dei Introitus Neomystæ *CLEMENTIS*, passus illi fvit ad Summum Pontificatûs Culmen, iter parante tutum Ductrice Aurorâ. Decadem ad Sanctitatis Nomen *CLEMENTI* addidêre Purpurati Patres; quasi viderentur *Primitias* Sacerdotalis laboris ad Aram Clari-Montis dicatas Summâ Honoris Apostolici in eo gratificari Decimâ. *Flumen magnum* dictus Antistes Maximus e *Mari enim Gratiarum* Prima Sacra sua emanare fecit. Auxit Pontificium Tyberim Inauguratione sui, quia ex influxu *Maris Gratiarum* evasit copiosus. Fæcunda Episcoporum Nutrix Ara Clari-Montis *MARIANA*, milleno sacrificantium primo hîc gloriatur partu, quem Pane Cæli cibavit ad infulas. Vnus pro mille sufficiat ad Gloriam Aræ Virgineæ CLEMENS Decimus, Summum Ecclesiæ jubar, Tricoronatæ Apostolicæ Hirarchiæ Gemma, qui ab Altari Thaumaturgo hinc, ad Altare PETRI, fecit Ascensum. *Tu Genitor Cape Sacra manu Patriosq; Penates.*

Virgilius. — *Virg: lib: 2*

Cecinit quondam Thebæa Clari-Montis Musa, fractoq; Carminis pede in Laudes exilijt *INNOCENTII Vndecimi*

Innocentio XI pro ter

Ponti-

Pontificis Maximi, ob ſpeciales in Tercentenarium Iconis Partheniæ in Claro Monte Sæcularem Annum Favores:

Innocens Candor Tuus INNOCENTI
PONTIFEX orbis Columen Decusq́,
Præſulum Præſul fidei Corona
Maxime Patrûm.

Sentit ardentem, recaletq́, zelum
Lechiæ Tellus. Renovans nocentis
INNOCENS ævi ſenium, renatos
Corrigis annos.

rio anno ſæculari celebrato in C. M. plenariam per XI dies conceſſit indulgẽtiam anno 1682. Ode Muſæ Claromontanæ ad Innocentium XI

Felix certe fuit *MARIANÆ* Vbicationis in ſpatioſo Clari-Montis ambitu primum punctum: quod licet ex ſe momentis nonniſi conſtet, ita tamen felici devotoq; curſu excreverat in Sæcula ut Canonizari meruerit oraculo INNOCENTII: ac ſi hic temporum Sæculariſſmus, Pura Sanctitate Parthenia effluxiſſet. Tertium MARIANÆ ſubſiſtentiæ ſæculum; quaſi tertiam modo primùm in Regno Lechico videretur ſonare horam, ſed ut citius ad meridiem appropinquaret hoc Sereniſſimum Maieſtatis Suæ tempus, undecimam addidit illi Indultorum dierum Lineam *INNOCENTIVS.* Finalis erat Claromontani Sæculi Tertij NATIVITATIS Virgineæ Cadens dies, o quam bene ſibi conſuluêre tempora; quæ cum ſe vident in agone Extremo, in cunis ſe reponunt Virgineis ut iterum renaſcantur. Nativitas DEI Filij ex Parthenia Matre pediſſequos *INNOCENTES* habuit ſuo ſæculo: Nativitas quoq; VIRGINIS, Renaſcentiſq; Sæculi noſtri Tertij Cunæ ſuo etiam non caruêre *INNOCENTIO.* Initium quarti & Finis tertij ſæculorum Clari Montis *INNOCENTIVS* fuit: o quam proſpera ſæcula, quibus in Eccleſiæ Zodiaco Dominatur *AGNVS* INNOCENTII XI. Nobiliuſnè potuit haberi aliquod Sæculũ, quàm quod aureum *AGNI INNOCENTII* Vndecimi nobilitavit vellus. Frigida Trionis noſtri Sæcula, ut in Fervorem Cultûs MARIANI magis incaleſcerent, *Vellus* Sacri *AGNI* ſui providit *INNOCENTIVS.* Et quem non terrefaciet *MAIESTAS* in Imagine; dum & ipſa Sæcula ſub *INNOCENTIO* Vndecimo confæderantur (*namq́, per emenſos redeunt nova ſæcula faſtos*) ut militent pro *INNOCENTIA MARIÆ.*

Tertium ſæculum tam Sacræ Imaginis quàm Parthenæ Religionis in Claromonte incidit in feſtum Nativitatis B. M. V.

Agnus Innocenti XI.

Hucuſq; Sacroſancta *Cathedra PETRI*, meras Parthenio

Monti

Sub Felicissimo Pontificatu SS. D. N. Pontificis M. Clementis XI. nunc nobis regnātis Coronatur aureo Vaticano Capitulari diademate Sac: Imago in Claromōte. a. 1717. 8. Septem. Stella Insigne Pontificium.

Monti Claro loquebatur Gratias, nunc in *Sanctissimo Domino Nostro* PONTIFICE MAXIMO CLEMENTE *Vndecimo loquitur & Coronas.* Regnorum Vniversi orbis cum sit Magistra, quid mirum, si sola Diademata proferat. Tribus Sæculis Felicis Recordationis Summi Pontifices, in Montem Clarum, Gratiarum Apostolicarum de Thesauro Ecclesiæ importabant Decades, ut ex illis aliquando componeretur Corona, fecit Sanctissimus Dominus Noster GAVDIOSAM. Expectanda erant Apostolica tempora *ALBANO* insignita *Sydere*, ut Coronarent Divam; nam nec suus ad Præsepe Natus Infans DEVS, Orientales ad se traxit cum Donis CORONAS; nisi prius apparuisset STELLA. Duce STELLA Coronatur Princeps Futuri Sæculi: non Sol in Ducē datus Regibus, novus enim Iosue Solē stare jussit. Socius Regum esse non potuit, quia Sol solus esse debet. Habet suas Stationes Sol, ne itaq; per frequentes Zodiacos Domos cursitando retardaret Reges, in comitatu esse non debuit. Vsq; ad Antipodas, profectus Sol erat, dum nasceretur CHRISTVS, ut his subterraneis Podagricis salutem venisse nunciaret. Sol Regibus associari non debuit, ne Dona Regum, sua propria assereret: Solis enim fæcunda operatio, dat Auro pretium, Thuri fragrantiam, Myrrhæ odorem. Flere Cogitur, qui Solem attento inspicit oculo, ne itaq; Reges suum continuo respicientes Ducem, toti lacrymabundi venirent Solem in suum prodromum adscire noluerunt. Ab hoc itinere se subtraxit Sol, certe enim incidisset in Eclypsim propter oppositionem *Terræ Sanctæ* in stabulo. Luna latratu Canum sæpe impetitur, ne ergo Reges putarentur venisse quasi venatores ad capiendum Cæli hinnulum natum, Lunam in Præcursorem adhibendam non esse judicarūnt. Ad demonstrandam Regibus viam destinatur STELLA, pedibus enim Regum, necesse erat habere tale calcar. Vrsa Firmamenti stella, se prompte obtulit in Ducem Regibus: fors ad suum Palatum, olfecit favum dulce in Nomine *Melchioris*. *De Vaticano Peraugusto Capitulo* noluit per tot sæcula moveri ultra montes in Regni Poloniæ Clima CORONA hæc, *expressa signo Sanctitatis Gloria honoris, Opus Fortitudinis*, quousq; non illuxisset in supremo Firmamento Ecclesiæ, *Totius orbis Miraculum, omnis felicitatis Præsagium, Regni Sarmatici gloriosum*

Tribus Regibus coronatis ad præsepe nascentis Christi proficiscentibus non sol neq; luna sed stella monstravit viam.

Cur non sub aliis Sanctissimis prædecessoribus, sed sub Felicissimo Clementis XI gubernio evenit Coronatio B. M. V.

Porten-

Portentum, Fax clarissima Fidei, Religionis Orthodoxæ Fulgidum. iubar, Clari-Montis Cynosura STELLA ALBANO-PONTIFICIA: *--- micat inter omnes*
Iulium sydus, velut inter ignes
Luna minores.

Stellæ Polares aliquando ad spinea præsago concursu, ducunt Diademata: (*Triste quod attonitis sydus se miscuit astris, Et cælum longa terruit omne coma*:) sola *Pontificia STELLA* ad aureas easq; Pacificas fit Dux Coronas. Quod Octaviano AVGVSTO Romanus Populus: hoc Quirites Po- *Octavian.*
loni *Sanctissimo Domino Nostro CLEMENTI Vndecimo Pontifici Maximo* inscribunt Piramidali Clari Montis Columnæ: *Coronasti ætates nostras, Florentissimâ Pace, & quam ante multi armis tentarûnt tranquilitatem Tu unus inermem fecisti, ut absq; excubijs secura ducat inter armatos respiria.* Quam primùm enim, inter turbulentos Patriæ nostræ motus, ex solâ Famâ CORONÆ CLEMENTINÆ fulgor apparuisse cæpit, ac si repercussione splendoris sui, perterruisset cædis minarumq; spirantes Saulos uno motu statim agitari videbatur Consilium & opus Pacis. Sit *Otto Primus, Potentiâ Cæsar, MAIESTATE Augustus, Affabilitate Titus, Pietate Flavius*:
Sit *Amadeus Dux Sabaudiæ, Gestis, Sapientiâ Religione ter fe-* *Avancinus.*
lix. Sit *Carolus Magnus secuturis per ætates Imperatoribus exemplum & miraculum*: Sanctissimi Domini Nostri *gesta, nostro ævo sunt Prodigio futuro Portenta.* Hâc STELLA Duce ALBANO Pontificiâ venit *CORONA ad Columnam Traianam DEIPARÆ Nominis*: venit & in *Territorium Tulphæ*: ubi de *Cibbonâ* dictam Iconem Virginis Gratiosæ insignivit. Venit in Celeberrimam *Senarum Vrbem*: ubi ad Theotoconem à *Præsepe* dictam *STELLA Pontificia* iter CoRONÆ monstravit: Venit in Ecclesiam *Hydrumetinam* Cathedralem, ubi STELLA CLEMENTINA, in Caput MARIANVM Gemmam Coronæ influxit. Venit in Civitatem *Vrbevetanam*: ubi Sacræ Virginis Statua in maiorem ex *VATICANÆ Capitularis CORONÆ* Insigni excrevisse videtur staturam. Venit in *Etruriam* Terræ S. Ioannis. Hâc Duce STELLA pervenit *Capitulare* signum ad insignem ex miraculis Imaginem Marianam *à Lacu* dictam Diæcesis *Brittinoriensis*: pervenit & ad Montem Politianum Stitit hæc STELLA & supra Ecclesiam Augustini Civitatis *PINNÆ*

Sub auspicatissimo Pontificatu SS. D. N. Clementi XI Coronatæ Imagines B. M. V. in variarū nationum Ecclesijs.

ubi & Caput Divæ Virginis & *Cor* Augustini Coronavit. Processit ultra hoc *ALBANVM sydus* jam VERONAM: jam INSVBRIAM: jam in Regnum NEAPOLITANVM: jam in *Fuliginiam* Civitatem: ubi de Planctu dictam Deiparam, CORONÆ monili Consolatam reddidit: jam in Civitatem *Tusculanam*: jam in *Diæcesim Oximensem*: jam in *Dalmatiam Diæcesis Signensis.* Venit CORONA, *Apostolici Imperij* Clenodium, & in Regnum Poloniæ prælucente sibi Pontificiâ Stellâ; quæ non citius in *Monte Claro* apparuisse visa est quàm dum *Nascentis Electæ Virginis Divæ* coluntur Cunæ. O Novam Constellationem Syderis ALBANO Pontificij CORONAM portendentis & influentis in CAPVT *ab æterno in MATREM DEI Electæ VIRGINIS MARIÆ PROTECTRICIS Ecclesiæ, Regnatricis Poloniæ, Propugnatricis Clari Montis,* Motrice intelligentiâ *Sanctissimo Domino Nostro CLEMENTE* Divinâ Providentiâ PAPA XI. Natale VIRGINIS Divæ, destinatur CORONATIONI Suæ: decebat enim ut Infantile CAPVT eius pulvinum non aliud in cunis haberet quàm CORONAM. Vicit Naturæ infirmitatem oculorumq; suorum aciem: dum se à primo ploratu infantili Nascens Continuit cui, utpote Gloriosæ Victrici, Triumphalem CORONAM in Natali suo, conferendam superi ordinarûnt. Tunc Iure merito Coronari debuit, quando CAPITIS eius Sacri Parvitas, Vnius STELLÆ Pontificiæ, in Coronamentum capax esset: nam ubi CAPVT ASSVMPTIONIS eius tempore excrescet in Altum: Duodecim *STELLÆ* nonnisi sufficient ad CORONAM. *Cadent de Cælo Stellæ*, extremum in *Valle Iosaphat* Coronaturæ Diem viventium: Sola ALBANO Pontificia STELLA: ad hoc Cælitus ex millibus Electa, caditq; hodie ut Primos Natæ Virginis in *Valle Clari Montis* Coronet Dies. Dignum CORONA censuêre Herculem Genitores sui in Cunis serpentes ad stuporem enecantem, voxq; Populi erat: *In cunis iam Iove dignus.* Binam & VIRGO Herculea AVGVSTA NOSTRA cum Colubrino Scorpione certamen habuit: Prima eius in CONCEPTIONE cum Serpente Lucta: sed & hodie Sacris Cunabulis eius SFORTIANVS SERPENS ita se insinuavit, ut apprehenso eo CORONAM accipere meruerit NATA Cæli Regina: *in cunis iam Iove digna.* *Titulum NATÆ*

Coronatio S. Imaginis Claromontanæ incidit in Festum Nativ. B.V.M.

VIR-

VIRGINIS CLAROMONTANO SANCTVARIO Magni dedêre *PRÆSVLES*: addidit CORONAM TITVLO *SANCTISSIMVS DOMINVS CLEMENS PAPA* XI. *ut ex DVCALI Primi FVNDATORIS VLADISLAI Agnomine, in* TITVLVM *assurgeret* MONTIS REGALIS CLARVSMONS MARIANVS. Adeo Fortunatum hoc Sanctissimum *Sydus*, ut quocunq; se vertere aspectumq; dirigere ei Contingat, CORONAS post se trahat. Philippus Rex CLEMENTIAM fatebatur: *Theatrum esse Gloriæ Suæ* an non patet Universo orbi in Sanctissimo Nomine CLEMENTIS XI. Suæ *Theatrum Gloriæ*: in quo zelus pro Ecclesia Primam Personam agit, Scænica Iustitia delicta punit, Religio cultum promovet, Pietas & Amor Paternus inopiæ succurrit, Solicitudo Pacem firmat, Principum Civiles motus Authoritas Summa CLEMENTIÆ Pontificiæ sedat. Videre erat in hoc Theatro Gloriæ, & Potestatem Personatam Clavium Iansenistica claudentem ut taceant ora. Quod olim ALBANO PRINCIPI VICEREGI BELGII, Extirpatori Hæreticæ Pravitatis Strenuo Orthodoxorum Defensori, Sectariorum Domitori, Rebellium Sacræ Romanæ Ecclesiæ VICTORI in Pyramidali Pegmate Perennis Gloriæ Mnemnosynon, apposità Gentilitia STELLA inscripsit CATHOLICVM BELGIVM: *Aurora Malum Fugans*: hoc Syderi Pontificio Sanctissimo exarabit Cara posteritas: nam non tantum fugavit quibus Lux odiosa erat, Verùm etiam abortivos Ecclesiæ partus longe propulsavit & extinxit. Odit hoc *Sydus Bifrontem Ianum in Iansenistis*: nec aliud portendit talibus Sacer hic Cometes nisi extremum fatum. *Sydus* hoc unius cum sit CAPITIS, nonnisi *Vnius labij* sequaces prosperat, & quos *duplicis Cordis*, Bifronteśq; Monstrosa effecit Hæresis, perimit. Imperante PERTINACE CÆSARE, monetario Numismati incudebatur STELLA cum addito: PROVIDENTIA DEORVM, ita quoq; Cælestes influxus Primus syderum Motor *Pontificio* alligavit *Syderi*, ut ubicunq; steterit, Divinam pandat PROVIDENTIAM. *Pegasum* Stellam Astrorum Lustratores dixêre: Celeriori passu Pegasus STELLATO Pontificius è MONTE

Titulus Claromontana Basilica Nativ: B. M. V.

Sub Pontificatu Pij V. Princeps Albanus Vice Rex Belgium ab Hæreticorum colluvie expurgavit, A. D. 1567.

Suo

ſuo currit ut ſuccurrat. *Herculem Aſtronomi* ex bis deno compoſuêre Stellarum ordine; pluſquam *Herculea* STELLA Apoſtolici Horoſcopi Noſtri Romano PRÆSVLEI, quæ & ſi Vnica ſit, millia millium in acie ſternit. *Author Ordinis Equitum Rex Galliarum* ROBERTVS, STELLA Profeſſos inſignivit MILITES cum adiectâ prognoſi: *monſtrabunt Regibus aſtra viam*: Deviaſſent CORONATA CAPITA: vel ſaltem difficilius jam Bellorum, jam fatorum, ſuperaſſent Mæandros: hoſtiumq; vix evitaſſent aliquando Cuniculos; niſi eis hæc Sacra viam monſtraret cynoſura. Prodijt ex hoc Theatro CLEMENTIS XI. & Diva PII V. Perſona in Amphitheatrum Cæleſtis Gloriæ. In hoc Theatro reproduxit Scænã Vitæ Suæ, Glorioſam & ANDREAS AVELLINVS, Felix a Cantalitio, CATHARINA Bononienſis jam vivæ vocis oraculo CLEMENTIS XI. Pontificis Maximi in ALBVM cælituûm relati. Prodeat in Theatrum Gloriæ Sanctiſſimi Noſtri AFRICA, an non repræſentabit zelum SVMMI PASTORIS, etiam Lybicas AFRICÆ feras Cicurare ſcientis AMERICA reproducet geſtu, ſolicitam de Cultu Religionis, in propagando mentem. ASIA dicet ſe ſvaviter quotidie trahi Pontificiæ STELLÆ Ductu ad Fidele obſequium DEI. EVROPA in *Theatro* concludet ſe Fauſtiſſimo *CLEMENTINO Sydere* ſemper NVMINI & Eccleſiæ ROMANÆ fore fidelem. *Pateat omnibus Clementia Tuæ Maieſtatis*: dicebat ſuus *Alexandro Ariſtoteles*: Longe patet CLEMENTIA CLEMENTIS XI.

Canonizatio quatuor Beatorũ per ſummum Pontificem Clemente XI.

dum ſe extendit ad CORONANDVM

CAPUT MARIANÆ

MAIESTATIS.

CORO-

CORONA
TRIUMPHALIS,
Ex Aureis Montibus ALBANO Pontificijs Fabricata.

CAPUT ORBIS & URBIS, AUGUSTISSIMÆ VICTRICI TRIUMPHALEM CORONAM. Informem tantùm licet auream Montes alij de se proferunt arenam: Soli MONTES VRBINATICI, jam formatas Cælo dignas, de se pandunt CORONAS. Fodiat *Iberum* montem Auri scatentem ubere Latomus suus, inde tamen non exsuget, nisi impol tum in arena Latitans metallum, *& quidquid ab auriferis eiectat Iberia fossis.* Eviscerent Cuniculosæ *Celtiberiæ* rimas: exportabit tamen inde, nonnisi pulverulentæ glebæ atomum. Nec plus sub Principatu Neronis protulit MONS *Dalmatiæ* aureus: (*robora Dalmatico lucent satiata Metallo*) nisi meram spem Copiæ auri. Gloriatur Monte Aureo Granatæ in Hispania Imago *Parthenia* MATRIS: & uti Granarium miraculorum ejus mons hic non unum in Coronam Auri dedit granum. An non Mons aureus MARIÆ Mons SERRATUS Romæ? ex quo aurea erumpunt Gratiarum Dona. An non MONS aureus Cælorum Reginæ in MONTE CÆLIO? ex quo GREGORIVS Thaumaturgus plus quam Gregorianum inaudivit cantum, aureumq; aure ab Imaginis simulacro excepit sermonem. Divi Lucæ opus Imago non tam Coloribus quam miraculis effigiata de *MONTE GVARDIÆ, BONONIÆ* dicta, Bononiam ex nomine Bonam, fecit optimam, & penicillum Lucæ fecit aureum. Par montibus aureis, & *Mons Stellæ* nuncupatus *Virgini Sceptrigeræ* Sacer in Italia *de Castello*, in quem non ita influunt astra, sicut prima Cælorũ Motrix influit gratias MARIA. Quid formosius gratiosiusq; Imagine Admirabili de *MONTE NIGRO LIVORNI* in Italia? ubi charactere aureo in ALBVM milleni inscribuntur quotidie Electi. Ex corde dicat AVGVSTINVS in cuius Cœnobio *Toriglij*

Montes variarum Nationum Marianis Iconibus miraculosis sacri.

In Monte Cælio D. Gregorium P. M. alloquitur B. M. V.

M in Ita-

in Italia AVGVSTÆ Deiparæ Imago de Monte BRVNO nuncupata, an non sit Mons aureus? qui viventi *Augustini ano Cordi* aurea confert sæcula. *In Monte Rancovillæ in Germania: in monte Martyrum Parisiis*: de Monte majore in *Lusitania: in Monte Badonico* in Anglia, habet suas Aurifodinas: ex quibus non virtute solis, sed benefico aspectu suo aurea prodeunt semina *Minoricam* Lustrantes Insulam testentur nautæ ubi *in Monte Tauro* splendescit auro Exemplar imaginatum Gloriosæ Parentis. *Mons Taurus Minoricæ* ad Majorem MARIÆ subiugatus Honorem, non aliud pendit AVGVSTÆ Amaltheæ Virgini, nisi auro plenas Cornucopias. Fixit incolatum suum Diva Mater & *in Monte Sion* vocitato *Lotaringiæ*. Fixit stativa sua Domitrix Hostium & *in Monte Ætna in Sicilia* ubi mitescunt insolescentes flammæ ad Imperium MARIÆ: eijciuntq; interdum in litrum Magnæ Dominæ purgatam igne Auri probam. Imago miraculosa Cælestium Gratiarum Virginis, *de Lapidibus in Monte Politiano* dictæ: an non Montem experitur aureum? non Lapides Sysiphi sed politas gemmas proferentem in Coronamentum Electæ MATRIS. Habet *Gallia Garzoniæ in Monte Leonis* aliter de curationibus appellato, Prothotypum Cælestis Heroinæ, ex quo Leonis ungula aureas elicit venas pro Maiestate MARIÆ: *quem præpetis ungula rupit*. Ovid: l. 6. Quid ditius *MONTE CORVI* si dicto in Lusitania: ubi utpote *in Monte* Altili altas *Lusitani* de MARIANO nido pretiosiores Auro aucupantur gratias Effert Laudibus *Montem Prandonium Italia*, ubi aureos de hoc Monte Thaumaturga Virgo dispensat Thesauros. *In Monte Olivarum* Ara Parthenia *Miraculosæ Matris in Palæstina*: ipsomet auro pinguescit de Aureo Olivarum Monte sumpto. Nec sine mysterio Germania in *MONTE ANDEX* nuncupato celeberrimam Divæ effigiem collocare statuit: noverat enim hunc aureis parem esse montibus, ex quo aureum conflaretur Regis Regum Parenti Diadema. Quid Elevatius *Monte Sancto Pribnæ in Bohemia*? Globum tamen huius montis Cui Sacra omnium mirabilium Architecta insidet Virgo: aurea de hoc Monte rectificant Symbola. Quid deest ad summam Celsitudinem & *Olomucensi Monticulo Mariano*, quem licet diminutum vulgi coarctavit vocabulum: eum tamen & MAIESTAS Mariæ & aurea de Montis meditullio suppelex am-

plum

plum reddidit. Ascende Calame *Montem Fuldæ in Germania* Marianis Portentis magis quam situ tumentem: de sub cuius Clivo scaturigo aurea miraculorum emanat sitibundis. Mirari tantum à Longe & non appropinquare licet Divo Sacratæ Imaginis Ectypo de Monte *Neocæsareæ* in Ponto nominatæ: de quo aurea consulenti populo prodeunt oracula. *Melitensium* professa militia, an non testatur, Imaginis prodigia *de Monte Filermo valletæ in Insula melita*: ubi Præses Bellorum MARIA Equitibus suis de suo Monte aureum confert insigne. Mons aureus *& Clarus Mons in Gallia*, CLAROMONTI POLONIÆ, ex nomine affinis, cognatusq; vocabulo, quibus & nomen idem & Mater miraculis Clara eadem Plumbeis Clarus Mons uterq; sæpe impetitus Sæculis, ut se Montem aureum probet, aurea rependit pro plumbo tempora. Quidquid Dives Numen tot Montium Aureis inclusit venis: hoc Totum in *ALBANOPONTIFICIUM* congessit *TRIMONTEM*. Prima *SACROSANCTI MONTIS* huius contignatio nonne Aurea? quæ à Diva CORONATIONE Sanctissimi Domini *CLEMENTIS* XI. P. M. Annum *GRATIÆ* ex ferreis extraxit sæculis fecitq; purè Aureum: imo PASTORALIS *Vigilantiæ* omnia momenta ipsummet Cælum appretiare sic visum est, ut Aurum ipsum erubesceret. *In hoc MONTE* infirma mundi in xenodochiijs non tumulum inveniunt, sed Auream vitæ usuram. Ab hoc *MONTE* Fulmina excipiunt monstra Hæresum. *MONS* hic reverberat lumen Fidei veluti Aureum Cynthiæ radium subtus terram. Ex hoc Monte Pientissima *SANCTISSIMI* Pupilla videt à longe *Terram Sanctam* Lunâ Othomanicâ Eclipsatam Cui in subsidium, *Aureum Numerum dies Lunares* supputantem erogat. De huius *MONTIS* specula intuetur Regnorum exhausta æraria: Provinciarùm spolia: Afflictarum iniuriâ belli Nationum pressuras, & de Monte Suo non sine manibus aureum deijcit lapidem, ut tot Regnorum Statuis, aut statibus: quibus nonnisi ferreum pectus; Luteiq; remansêre pedes Caput aureum efficiat: *Non solius luculli tanta Liberalitas fuit, ut domus eius, portus communis fortunæ diceretur.* His *MONTIBUS* quibus nec Portæ inferi prævalebunt (*Romanos fasces nunquam inflexêre procellæ, Non aquilo & quidquid flamminis Auster habet.*) Vniversa circumvallatur Ecclesia;

Tres Montes insigne Pontificium

clesia;

clesia; quæ & si Cornuto Heterodoxorum sæpe arietatur dilemmate murum Ahæneum experitur. Cælo contigui *MONTES ALBANO Pontificij* Aureum inde capiunt imbrem totum communicandum effundendumq; in Ecclesiam. Tot Bellorum passibilitate dilaniata plurima Regna; ex Passibilibus gloriosa effecit & impassibilia *in Monte* Suo Paterna Transfiguratione in splendore vultus sui Summa SANCTITAS Beatissimi Patris CLEMENTIS XI. Fige mentem Calame & in secunda MONTIS ALBANO Pontificij Contignatione: & vide ex quibus coalescat tanta *MONTIS ROMANO* Præsulei MAIESTAS: *magnificentiam præfecit AVLÆ, Iustitiam Curijs, Tribunalibus clementiam veritatem Consilijs, Pacem Patriæ, Aris Religionem.*

Ad Tertiam *MONTIS CLEMENTINI* non eluctare contignationem Calame: *Altitudo Divitiarum Sapientiæ & Scientiæ est: Summâ Numinis Increati assistentia crescit; Summâ contra hostiles insultus Fortitudine turgescit; Summâ Fidei Regulâ maturescit dat ei incrementum & summus pro Ecclesia Ardor; Summusq; Christianitatis Amor.* O quanta MONTIS Albani constitutiva. Frustra tumet Mons *Mauritaniæ, Abila,* Mons *Acanthius Magnesiæ*, Mons *Acrocorinthus Peloponesi*; Mons *Argæus Capadociæ*, Mons *Falernus Campaniæ,* Mons *Dardanus Apuliæ,* quibus nonnisi arenosus fastus ad unicum furentis Æoli Flatum facile mobilis Pulsa nativo *Nido Regni Poloni Aquila Leonis Gothici* territa rugitu; non *Garganum* montem APVLIÆ, non APÆNINVM ALPIVM *Globum*, non *Aracynthum* montem *Ætoliæ,* non Montem *Caucasum Scythiæ*, irrequieta petijt, Solum ALBANVM alba Regni volucris Sanctissimi *MONTEM* semper sibi Propitium in Asylum elegit, & invenit, nullibi tutiorem habitura locum. Iam jam sepulchralem Foveam Fidei orthodoxæ in ipsâ Patritia Planitie tumulandæ eggesserat Mars hosticus vertitq; lanceas in vomeres gladios in ligones ut communem toti humano Regno effecisset foveam vivumq; suffocasset: sed MONS Pontificius de suarum gratiarum cumulo implevit ruinas, quidquid devium erat fecit planum, fatalemq; Sarcophagum qui cadaverica exanimatâ Religione impleri debuit Monte suo Pientissimo obruit ne daretur tam infami sepulturæ viva Orthodoxæ Religionis anima. Hiatum universi Regni continuis de Suo MONTE

proflu-

profluentibus *Legationibus*, Apostolicis Clementissimis Diplomatibus, obstruebat & extunc *impleta est terra nostra possessione sua.* Canebat Horatius: *Albano Musas in Monte locutas*: POLONA Musa Elegiacum *Sanctissimo* ALBANO *Monti* ob defensam PATRIÆ integritatem, servatam Sacrorum Immunitatem post osculum SACRATISSIMORVM Pedum cum profundissimo Cultu decantet carmen:

PONTIFICI sua sint Divino Numine tuta
Culmina, nec MONTES Hos petat Omnipotens. Bellalius.

In Triario MONTIS VRBINATICI culmine eminet & Eminentissimus PRINCEPS ANNIBAL CARDINALIS ALBANI PROTECTOR NATIONIS POLONÆ. Induisti cum PVRPVRA *Eminentissime PRINCEPS Qvaternionem VIRTVTVM CARDINALIVM*, cùm tamen intulisti PVRPVRÆ TECVM, Millenarum imo omnigenæ virtutis Illiadem. Libram Iustitiæ Tuæ ante PVRPVRÆ Pondus, impleveras meritorum pretio, Qualitatūq; inæstimabilium Conchylio; & quamvis tanta Decora occultare voluisti Purpureâ Chlamide, ipsa tamen *CARDINALITIÆ TOGÆ MAIESTAS* & Animum Tuum ad Summa Natum, & Augustam indolem de sub Ruboris Purpurei cortinâ prodidit spectantibus. PRVDENTIÆ TVÆ Acumen, Angelicis mentibus æmulum, ex se satis solidum: sed ubi *Petram Ecclesiæ* inter Purpuratos Qvirites *Tibi* pro Cote dedêre Superi solidius effecisti. Vnicus summæ PRVDENTIÆ TVÆ Sensus ANNIBAL Eminentissime Citius macerare novit pertinacem occurrentium Difficultatum molem, quàm Corrosivo quondam Alpes Suos ANNIBAL Saxifragio. Athlantem REGNI POLONIÆ Te maxima notificat FORTITVDO dum *Eminentissimis* Lacertis *Tuis*, Pondus diei & æstus afflictæ Lechiæ supportas infatigabilis. *Sexto IVLIO Consule*, Romanos tenente Fasces in *Agro Mutinensi* Montes duo dissiti Pugnam Conflictumq; inire & sese arietare visi. Sæpe sæpius MONS Tuus Potentissimus *PROTECTOR Eminentissime* in Campum Poloniæ prodijt, tumentesq; hostium animos veluti summa Montium juga de *Polono* excussit Collo *VINDEX LIBERTATIS*. Humile *Polonum* solum in Tuis Celsissimis collocasti *Montibus*; ut illud aut æquale omnibus, aut præferres singulis. Crevit ex Celsitudine *MONTIS TVI MONS VRBIS*

Eminentissimus Princeps Cardinalis Albani Protector Regni Poloniæ.

Septem Montes Urbis Romæ.

Capitolinus: altius assurrexit *MONS AVENTINVS*, Evectus sursum *MONS PALATINVS*, *CÆLIVS Maior* factus maximus: *EXQVILINVS* Elevatior, *VIMINALIS* Sublimior, *QVIRINALIS* magnificentior: *Septem VRBS alta iugis toti quæ præsidet Orbi*: quibus Eminentiā de Tuo addidisti Fastigio. Crevit & Minoris Poloniæ Montanum Clima Te PROTECTORE, in cuius Palatinatu Cracio METROPOLITANO, VATICANAM collocasti CORONAM; ut Tanti Diadematis Magnitudine *Maior* evaderet. CVSTOS CORONARVM MINOR POLONIA etiam ROMANVM MARIANO CAPITI Sacrum ad fidele depositū recipit Diadema Te Fautore. Quandā Sympathiam Gentilitij MONTES Tui habere videntur ad Minorem Regni Pupillaris Tui Provinciam, cùm non alibi VATICANAM collocas CORONAM, nisi in ea Parte Poloni Orbis quam CLARVS MONS ex Thaumaturga Icone Celeberrimus, *MONS VAVELLVS*, ex CORONATIONE REGVM Conspicuus; MONS CALVVS ex Ligno Vitæ S. CRVCIS inter spinas, Benedictinas cum Fructu Crescentis summe gloriosus, MONS CALVARIÆ ex Passionis Dominicæ Proscenio maxime famosus cingit & sepit. Minorem POLONIAM effecerat minimam olim ROMA adempto in pænam necis STANISLAI Diademate, nunc redit primùm hodie & ibi reponitur unde excidit. Primo vivere incæperat Regum Poloniæ CORONA Gneznæ ad Sepulchrum ADALBERTI, excitante *OTTONE RVFO* Imperatore Romanorum, in Capite *DVCIS BOLESLAI CORONÆ* Fastigium; ne tamen ipsa sæcula de Iacturâ Coronæ primitùs ex Favore Pontificum Regno Polono insertæ Minorem Culpent *POLONIAM*, en hodie restituit ROMA. Gloriatur *MAIOR POLONIA* se in Gneznensi Nido Sacrum Regium peperisse Diadema, Glorietur hodie & *MINOR POLONIA*: quod in MONTIBVS ALBANIS Coronarium repererit Insigne, fatali quondam AVDACIS Regis deperditum Casu. Crudum quid inerat Coronæ Audacis BOLESLAI quam in Ossiacensi Concoquens Culina abligurivit & consumpsit Midas Coronatus Poloniæ. Ollam fortunæ dum quærit, invenit Sinistræ notamq; Coronæ ad focum inussit. Incineravit CORONÆ gemmam ita ut nec scintilla Ducentis in Capite Regnantium appareret annis: portionem tamen consummatæ felicioris vitæ invenit

In Minori Polonia situs Mons Clarus B. Virg. Coronatæ.

Cracoviæ in Minori Poloniæ asservantur Coronæ Regum.

Regnum Poloniæ privatum Coronâ & Titulo Regis obtyrānidem Boleslai à Gregorio VII. A. D. 1080.

venit. Ferinā vitam intulit ut excoqueret. Aras postquā oppugnaverit pro focis militare cogitur. Iejunam inter dapes ducit vitam satur Sanguine STANISLAI: Et ubi focarium ignem excitat, vitam extingvit. Infoderat AVDAX, Talentum CORONÆ: Tu effodisti *Eminentissime PRINCEPS* in *MONTIBVS Tuis* ut inaugurareris Regnum. *MONTEM TALPE* dictum extollit Provincia XENSIS adeò portentosum, ut ad Tympanorum pulsum, horrenda reboet Fulmina, corrusca accēdat Fulgura, Tempestates fundat validas; MONS Sacer Tuus PROTECTOR noster; ad Tympanorum Sonitum Claromontani Fortalitij, Tubarumq; clangorem, Serenitatem affert Regno in CORONA. Regnum Poloniæ ob BOLESLAI Truculentiā exauthoratū CORONA ad se primo hodie redire videtur: eodem enim Diademate & Regina Poloniæ Diva VIRGO, & ipsum Regnū insignitur. Perennabunt vestigia Magnæ in Divam nostram Pietatis Tuæ PRINCEPS Gratiosissime. Rota enim *CARDINALITIA Tua* qua Aureum invexisti Diadema *in MONTEM CLARVM* æternaturæ Gloriæ Tuæ passus post se relinquet. Axis Cælestis est, Sacrosancta *PVRPVRATORVM* Rota, quam Elianus in ParthenoMatrem Cultus Tuus, Seraphicusq; Zelus, veluti jugales in *MONTEM MARIANVM* traxêre quadrigæ. Nunquam arescet copiosus Crystalinus Sudor Tuus, quem sedulam navando operam effudisti pro CORONA. Auxisti Annum in Regno Tuo cui ultra ordinarium Dierum numerum, octiduum Plenariæ Gratiæ de Benignitate Sanctissimi Domini Nostri P. M. addidisti. Diagoras Rhodius cum Filios Athletas eodem die vincere & victores Coronari vidisset, populusq; gratulabundus triumphalia erexisset Victorum Parenti trophæa, in stadio spectante populo in oculis & manibus Filiorum dulcem efflavit animam præ lætitia. O breve solatium unius diei cursu consummatum. Feliciorem ex *CORONATIONE MARIANA* sortem nostram quis non mirabitur? dum pro diuturniori totius Regni Poloni tripudio octo dierum indulsisti *PROTECTOR* Maxime, spatium. Divisisti tantam magnitudinem applausûs in dierum intervalla: ne summum solatium in unam concentratum diem Clientum animos: (quibus amore MARIÆ languescere moriq; lucrum) exanimaret. Cogitationes tuas

studi-

ſtudiumq; Pientiſſimum ita applicuiſti CORONÆ huic, ut credi poſſit, prius fuiſſe in Capite Tuo, antequam Caput Virginis Deiparæ Coronaſſet. Non ſatis erat Magnæ Liberalitati Tuæ avitis *MONTIBVS TVIS ROMÆ* Hoſpitale D. STANISLAI ſuffulcire: ubi Beneficia Tua ita feciſti Domeſtica, ut nunquam exeant de Domo *NATIONIS*: etiam ultra Romana mænia Beneficam in *MONTEM CLARVM TVA* ſpeciali Protectione ſuffultum extendere placuit: de Nobiliſſima & Eminentiſſima *TVA PONTIFICII SANGVINIS* Portione Sacrificando victimam ſub *CORONA VATICANA* ad *ARAM MARIÆ*. *Magnetem* Te dicam CORONÆ huius, qui Vniverſum *PERAVGVSTVM CAPITVLVM VATICANVM* Magna Eccleſiæ Decora traxiſti in CAPVT MARIÆ. Reſplendet fulgor Conatûs Summi in CORONÆ huius orbita Illuſtriſſimi & Reverendiſſimi Domini IOANNIS FRANCISCI EPISCOPI VATICANÆ Eccleſiæ Canonici & VICARII. IOANNES cum ſit Auguſtiſſimam *MATREM* Noſtram ſibi commendatam habere debuit, vivumq; Tutelaris ſui in ſe expreſſit Exemplar, dum *SERPENTEM SFORTIANVM CORONAM* ferentem de Calice Suo Libat ad ARAM MARIÆ. Immortalem Te PRÆSVL Illuſtriſsime efficiant cum IOANNE Superi & inter Natos maiorem. Pari in Divam *CLARIMONTIS* Noſtri an non ardeſcit animo & Illuſtriſſimus DOMINICVS ZAVLI Antiſtes, VATICANI Capituli Infulatum ſydus qui pientiſſimo voto Suo, aſſenſuq; Devoto præfert Lampada CORONÆ Sacræ cum Guſmano Sui Nominis Patriarcha. Nec aliud de Sacro ore pro Coronâ nunc in Regnum Poloniæ expedienda tulit oraculum: & Illuſtriſsimus D. *PROSPER MAREFOSCHI, VATICANI* Subſelij Tyaratus Aſſeſſor: quàm hoc: *intende proſpere procede & Regna.* Apposuit manum ſuam ad fixuram clavorum CORONÆ Aureæ, & Illuſtriſſimus D THOMAS CERVINI Præſulum Gemma *VATICANI SENATVS* Conſus, Portavit Aurea *CORONÆ* Lamina, & Magnum Illuſtriſſimi ALEXANDRI CASALI DECANI, PRÆLATI VATICANI Collegij Nomen, nulla temporis edacis ærugine obliterandum. Magnum ALEXANDRVM hodie decreſcere neceſſe eſt,

Eminentiſſimus Princeps Cardinalis Albani Archipræsbyter SS. Vaticani Capituli

Vaticanæ Baſilicæ Prælati Coronæ Marianæ Patroni.

qui

qui Coronas armis quærebat, ut detraheret, Tu habes in manibus, ut Divorum Capita redimire queas. Non in Cassum CASALI Illustrissime laborasti, ita enim speciem Tui affixisti Diademati huic, ut quidquid curarum futurum sit sub CORONATO Electæ Matris Capite Tui Prma. Addidisti de Nomine Tuo CORONÆ CRUCEM Illustrissime *ANDREAS RICCI.* Addidisti svavitatem melleam ex Etymo Tuo Glorioso Illustrissime *BERNARDINE PROTTINI* Prælate Dignissime. Auxisti Decorem CORONÆ lapide Tuo Illustrissime HIERONYME PETRONI. Prælatorum Norma Illustrissimus GUIDO PALAGI de virtutum suarum pretio pondus attulit Diademati. Illustrissimus PETRUS de MASSINI, Solidissimo CORONÆ auro firmavit Clari Montis Petram. Illustrissimus *FAUSTINUS GRISPOLDI* Prælatorum Exemplar, infausta Regni nostri tempora, CORONÆ tutamine abegit. Illustrissimus BARTHOLOMÆUS MASSEI; Vaticanæ Ecclesiæ Prælatus, CORONÆ MARIANÆ Unio. Illustrissimus NICOLAUS FORTIGUERRA Vaticani Sanctuarij Prælatus, Nominis Sui adimplens mensuram, dotem Capituli Sacri adjudicavit pro CORONA. Magnorum Donorum DEI Illustrissimus GASPar TURCHI, donum attulit Deiparæ in CORONA. Illustrissimus CAROLUS MAIELLA, Flos Maialis serti MARIANI immarcescibilem meretur Gloriam. Illustrissimus PETRUS FRANCISCUS BUSSI, tunc se probavit *PETRUM ad VINCULA* dum & Cor & Zelum MARIANÆ alligavit CORONÆ. Nemo dicat Illustrissimo PHILIPPO VAGINI: *unde ememus panes?* penu Gratiarum est CORONA MAIESTATIS Virgineæ. Inclusistis Coronæ huic memoriam Vestri Illustrissimi Canonici: *ANTONI DUDLEI, PROSPER VARESSE, RICHARDE VARDII*, quæ excidet nunquam ex Capite MARIANO. Conspirastis in Caput Victricis MARIÆ Illustrissimi PHILIPPE CASARINI, PHILIPPE MELCHIOR MAGGI, & pro Corona votis Certastis semper victores futuri. Solenne Nomen Tuum inscripsisti Rubro Coronæ Illustrissime DOMINICE RIVERA, nec Magno pepercisti labori Tuo imo desudasti pro Corona ubi Dominico die quiescendum esset. Occupastis Caput Reginæ Cælorum Diademate Vestro Illustrissimi AGAPITE MO-

SCA, PROSPER LAMBERTINI, HYACINTHE SACRIPANTES, ſed ſimul occupaſtis & animum Gratificantis *Coronatæ*. Generoſum pro Corona Athletam Lauro exornent Cæli Illuſtriſſimum *CAIETANVM de CAVALLIERIS, MICHAELEM de ASTE, PETRVM PAVLVM MARCOLINI, MARCVM ANTONIVM ANSIDÆ*, Vniverſamq; Vaticanā ſtubam Sūma Numinis Poteſtas Beato muneretur Favore. CLAVES Veſtras Aureas Capitulares, quibus tantum reſeraſtis Theſaurū, Omnigenæ Felicitatis noſtræ Gazam, Arcam Fœderis inviolabilis, Triumphali in perpetuum Anathema appendemus Portæ, ut ſciat Orbis, hunc MINORIS ORDINIS NOSTRI *Oſtioratum* cum CORONA collatum, Sacerrimi Characteris Veſtri Vaticani eſſe Summa Symbola digna coli. Patebit apertè ex CLAVIBVS Veſtris, reſervatam hic eſſe perennem Veſtri memoriam à quâ nec iniuriâ Fatorum, nec invidia Temporum abſolvi poterimus; imo Sericeo Stamine Veſtro ita innodavimus animos noſtros, ut ab obligatione Devotionis & obſequiorum erga pientiſſima *Magna Nomina* Veſtra evinculari nunquam prætendamus. *CARDO* Veſter *Eminentiſſimus Princeps CARDINALIS ALBANI Protector Noſter Maximus*, in hoc CLAVIVM VATICANARVM *Aprili* Centifolio immarceſcibilis vitæ, Immortalem ex meritis in Eccleſiam, ex Protectione in Poloniam, ex Sanctitate in Superos, ex Mariophilo Cultu in Divam, ex virtutum exemplari Prærogativâ concludat annorum Myriadem. --- *& ſolis exegit Montibus ævum.* Adeſte jam AVREI SANCTITATIS Pontificiæ MONTES & quos ſicut Ceram fluxiſſe Cecinit Vates, Divinioris Icari pennâ in Caput MARIANVM involate conſignantes

Clāves aureæ duæ & in medio ſericeus nodus inſigne Vaticani Capituli.

Horatius.

Pſal. 96.

in Capite Libri

CORONAM.

MAIE-

MAIESTAS
SACRÆ CLAROMONTANÆ JMAGINIS
Ex REGUM MUNIFICENTIA.

IAm Liber Regum evulgatur in Marianæ MAIESTATIS Præconium. Non hîc commentarium in Regum munificentiam agere licet, qui Satis luculenter Sua in CLARO MONTE explanarũnt opera. Ex Lectione non edisces hic REGVM Mysteria sed ex collectione Beneficiorum. Quodlibet *Caput Regum*, Ecclesiasticum hîc reliquit Numerum, ut ex Censu patere queat, Coronatos Principes MARIANÆ Absolutæ potestati, esse Tributarios. Primum CAPVT Regum veluti Libri huius Proemium LVDOVICVS, Primus in Linea Benefactorum Sedis Claromontanæ: in cuius Serenissimum verticem Binum Conspiraverat Diadema, quâ Temporis Quadrâ Sydus Cæleste VIRGO stitit supra CLARI-MONTIS Repagula. LVDOVICI Sceptra utpote summum tunc Regni POLONI Directorium, meridiem *Solstitiali Imagini* in Globo Montis Thaumaturgi Sphærico designarũnt. Non suffecisset unius Regni PVRPVRA ut ad Primum MAIESTATIS REGINALIS MARIANÆ ingressum investivisset Publicam viam: *Pannonicæ* etiam Trabeæ sibi adjunxit Paludamentum LVDOVICVS, ut totum Viæ tractum adornaret, Cælestis Solij Salutaturus comparticipem MARIAM. In capite voluminum sæpe leguntur Parabolæ: in Capite Primi Regum LVDOVICI Solæ allusiones Encomiasticæ ad *MAIESTATEM* Divæ. Plenum erat hoc Caput Extaticis Divinorum meditamentis; itaq; Præludium Primum de Suo Nomine effecit LVDOVICVS, dum ad Contemplandam Speciem *AVGVSTISSIMÆ* Iconis Partheniæ de Vngarico Asceterio huc veluti alter Amphion provocavit Eremiticam PAVLI silvam, id procurante VLADISLAO *Oppoliensium Duce* Regni Prorege. Par REGIBVS dominandi Potestate VLADISLAVS & Ducalem Clavam, &

Ludovico Rege Poloniæ & Ungariæ regnante Imago Sacra à Vladislao Duce Prorege suo in C. M. C. relinquitur

Ludovicus Rex mittit Patres S. Pauli P. E. ex Ungaria in Poloniam instante Vladislao.

Posses-

Dux Vladislaus Prorex C. M Fundator, Bona eide immobilia confert.

Possessionum CLAVES tradidit MAGNÆ DOMINÆ: opibus opem Divæ remuneratus: & uti Optimati Cælorum, cùm meliora dare non valeret, Bona contulit. Ne videretvr tantus Princeps terrena despicere, Agros Aris colendos dedit. Agrorum iugera Sacro Monti adjunxit, ut novo Terræ cumulo auxisset. Sulcis in Divæ cultum datis, animum suum inservit VLADISLAVS, ne videretur invitus dedisse. Et dum se Bonis exuit, virtuosior evadit. Sanctè prodigum fateri cogor Principem, qui pro una *Mensa* & seipsum impendit. Primus ille super MARIÆ Petram sparsit semen, & ne aruisset, sudorem vultûs sui reliquit. Temporalibus in MARIANAM œconomiam abdicatis, novas curas aquisivit. Dum Bona in Altaria dissipat, *Collectas* pro se in Arâ fundat. Instrumentalis Causa LVDOVICI REGIS VLADISLAVS, tunc Sonorosiorem Principalis sui reddidit famam, dùm in virtute eius inflaret Montem opibus. Manet Echo hactenus manebitq; LVDOVICI Regis munificentissimi inter abrupta Petrosi Montis MARIANI sine Lusu fatorum.

Vladislaus Iagello Rex Poloniæ.

Et illa LECHIS per duo Sæcula Propago Regnatrix *Iagelonidum*, *Acervo Tritici Vallato Liliis* Suum intulit manipulum. Aristas suas non semel in Monte Claro acclines fecit Iosephi Sponsæ MARIÆ. Et ne dissolveretur MANIPVLVS Suus, eum sub Fasciâ Reginæ Cælorum reponebat. Strictioris observantiæ in Divam ut esset *Iagellonicus* Regius Fasciculus, voto illum coarctabat insolubili VLADISLAVS. Nobilissimus *Lithuaniæ & Coronæ Regni Vnio* IAGELLO hìc Cælestem invenit Concham, in quâ pretiosum Vnionis Publicæ recondebat margaretissmum. Cælo satus hic MANIPVLVS, aliam non Coluit *Cererem* nisi CLARI MONTIS MARIAM. *Frumentum Electorum* Rex Electus IAGELLO, in Bonam terram cecidit dum pronus, in Monte Parthenio Divam per quam Reges Regnant adoravit. Nascente *Numine* Sol spicis coronatus apparuisse visus est: ut se & VLADISLAVS pium MARIÆ Laboriosumq; profiteretur Colonũ Spicas ei de Domo Sua obtulit in Coronam. Hìc Gentilismi abjurat Zizania, hic superstitionis eradicat Lolium; ne acrem Delicatiori Diademati Polono inferat urticam:

Stemma eius Manipulus.

Baron: anno 1. Christi.

Hinc Sceptra accipere, & primos attollere fasces
Regibus omen erat.

Æneid.

Sonipes

Sonipes MAGNI DVCATVS LITHVANIÆ, ex se satis Gloriosus - - - *ostroq; insignis & auro*
Stat Sonipes ac fræna ferox spumantia mandit.
Tot victorijs onustus: *sublimes in eqvis redeunt, pacemq; reportant,* eó magis gloriosior, quod Serenissimam Iagellonicam Domum cum Vniverso MAgno Ducatu suo in Montem Clarum invexerit, ut MAIESTATI MARIANÆ reddidisset Tributum Clientale. Deficiunt aliquando Solis Equi, Serenitatis Sydereæ bajuli; unicus & Vnitus *DVCALIS Eqvus Lithvaniæ* tot SERENITATES in Solium Regni Poloni Ducentis annis intulit infatigabilis. Qvoties excursum fecit, Bonum certamen certavit, ita ut Vulcanus Orientalis, Lunam non semel in soleam dare sibi cogeretur. *Equo ne fidite Teucri*: licentiosi dixêre Poetæ: sed Bellicoso fidite Magni Ducatûs Dromedario; qui cum summa Gloria & cursum consummavit in Regni solio, & Fidem servavit imo Fidem Primus intulit ad Lares Lithvaniæ. Lucos, Divinitatis symbola evertit (*Ne quis sit Lucus, quo se plus iactet Apollo*) & RVBVM incombustum hic adoravit. Faunorum Fana igne punivit; nê male sana superstitio Nemora pro Numine amplius coleret: Nec aliter Zelosus Princeps fideles facere potuit nisi fecisset Atheos sine cultu Deorum Silvestrium. Tunc plantavit Vineam Christi quando Deos alienos eradicavit. Primitias MANIPVLI sui Iagellonici hîc libens obtulit dum VLADISLAVM Poloniæ & Vngariæ Diademate fulgentem Casimirum cum Regina Elisabetha Filios eorumq; Nepotes Divum Casimirum, Fridericum S. R. E. Cardinalem & Episcopum Cracoviensem, cum Serenissimo Ternione Filiarum: Hedvigi, Zophia, Elisabetha Vniversumq; Regium Nepotismum ut pote Novellos Fidei Orthodoxæ Fructus LIBRO BENEFICIORVM MARIANORVM inscribendos, mancipandos & in perpetuum vasallatum Serenissimæ POLONIARVM Reginæ Divæ Parenti tradendos, incorporandos reliquit. Totus se sanguis Regius IAGELLONICVS effudit in ALBVM Protoéremiticum; & ne aliquando concresceret congelareturq; sub frigido Aquilonis Iove: frequenti imo per anni circulum non semel repetita in MONTEM Thaumaturgum Peregrinatione sese agitabant Reges. Altus meri-

Insigne Magni Ducatus Lithvaniæ.

Reges de stirpe Iagellonica Confraternitatem Ord: S. Pauli P. Eremitæ suscipiunt Anno salutis 1472. cum tota Regia prole.

Pedestris Peregrinatio Regum Iagellonii in Montem Clarum.

P tis

tis hic MANIPVLVS creveratq; in immensum Antiquitate Domûs, Bellica virtute im Hostes, Pietate in Divos: Benevolentia in Fœderatam utramq; Gentem: & tamen sic se in MONTE Claro convoluebat: ut *Nascenti* Divæ Virgini Cunis infantilibus se substerneret. MAIESTATEM MARIÆ veneraturus in Cunis, aureum per modum substrati sæpe secum Iagello inferebat *manipulum.* Splendet hoc *MANIPVLARE* Insigne non tantum in manibus ad ARAM Sacrificantium verùm etiam & in ipso Pane, Altaris mysterio. *terq; nova circum felix eat hostia fruges.*

1. Gerg. Habes unde glorieris, minima PAVLI Eremus; cum & ipsos Regni Poloni Soles habeas Philadelphos: Et qui Officium *Patris* gerunt; deq; suo Regio Patrimonio Claromontanum alunt sodalitium, iam quodam pietatis Genere; in *Confratres* adoptari ad summum minime attendentes Maiestatis suæ Gradum non erubescunt. Novam hic Relationem fundant, & pro termino Felicitatum suarum MARIAM profitentur. PAVLVM Anachoresis Thæbææ Coryphæum & ProtoMagistrum in suum nobis communem assumunt Parentem, ut vel Corvino Pane ad Coronas nata educetur soboles; vel ut ex Palma Pauli scalam sibi componant efficiantq; ad Regni solium. Ad Arborem Genealogiæ Iagellonicæ, tot *Cæsarum*, *Regum*, *Ducum*, *Principum*, distinctam frondibus, etiam Palmæ Paulinæ surculum adhibuêre *Serenitates*, qui eo citius in Polono solo crevisse videbatur quo majoribus MAIESTATIS Iagellonicæ vegetabatur Beneficijs; stetitq; firmius adversus ventorum turbinem PALMA nostra vinculo Confraternitatis ad Sceptra Regia alligata. *LILIVM* in Regali Purpura *CASIMIRVS* Nomen ne? an odorem mirum in Albo *Confraternitatis* nostræ Cænobiticæ Paulinæ reliquit? ignoro. In Eremiticam PAVLI sese devovit Communionem: ubi ac si centenarium iu Purpura vidisses Eremicolam Casimirum Divum; qui totam secum Virtutum Sylvam portabat & Thebaidem. Illud Tibi Gratulari jure merito debes Sacra Mater Religio; quod ad summæ Sanctitatis plenitudinem in Casimiro, de Participatione Meritorum Tuorum ad quorum usum admisisti, punctum forsan ultimum addidisti. Palæstrita MARIANVS Confrater Noster Casimirus D. Scholam sibi ele-

Gloria Ordinis Sacri ex Confraternitate Regum.

Maior Gloria ex Cõfraternitate S. Casim:

bi elegit Paulinam in Claro-Monte; ut ex *Participio* Meritorum Cænobiticorum didicisset quomodo omni die Colenda MARIA. Relinque ad breve tempus Cœlestis solij sedem Purpurate Coeremita D. Casimire; & ne tuam intermittere videaris in Cultu Hyperdulico diem nunc adesse festina & *Lilieto* Tuo sterne viam Tuæ Magnæ Dominæ ad *Coronam*.

Invitatio D. Casim: ad præsentem Coronationis Actum.

Sonat Nomen SIGISMVNDI AVGVSTI in Monte VAVELO, ubi transfigvrantur Reges: nec mirum si tempestatem Sigismundi temporibus experiri non contigerit Regnicolis; Pulsus enim Regiæ Campanæ Fatales propulsabat Potestates. Munivit Amuletis sacris & MONTEM MARIANVM Rex Sigismundus; ubi utpotè *in Monte Victoriæ*, Vexillum Crucis Regiâ manu fusum posuit, ut in hoc Signo CRVCIS Mons sacer semper victoriosus evaderet. Malleum prius arripuit, antequam mucronem stringeret in Hostes Fidei: noverat enim victorias melius non posse excudi nisi in *Aris*. CRVCIS occupatur labore Rex Sigismundus; ut ibi extaticum suum appendat cum Sceptris affectum. Hæc sola CRVCIS Figura fel non gustavit, ex Corde Sigismundi facta. CRVCIS Mysterium Virgini Matri Claromontanæ obtulit de laboribus manuum suarum, non ut renovaret dolorem, sed si quid amaræ Passionis adhuc extaret in MATERNO Pectore metam poneret; ne recrudesceret amplius intrinseca doloris punctura. CRVCIS hujus meditullio LIGNVM VITÆ inclusit, cui Pomum suum Regium affixit in Donum perpetuum MAIESTATIS MARIANÆ. Post Crucis artificiosæ consumatum opus, Ferculum monstratorium Cœlesti Pane refertum ad MENSAM *CLAROMONTANÆ* AVGVSTÆ composuit: *Regem* Providum hinc metiri licuit, qui *Marianis* Præsidiarijs Annonam de Cælo in Ferculo pretioso attulit. Manent species laboris Regij, quæ ne unquam deficiant, Panem eis providit & monstravit Consecratorium. In *Dapiferum* Supremum *Maiestati Marianæ* se obtulit Sigismundus Augustus, postquam ad Nazaræam MENSAM novum Ferculum Cibi Angelici Portatile attulerit. Aureum sæculum ipse sibi condidit, dum in Aureis, Argenteis operibus ad splendorem Aulæ MARIANÆ tempus

Sigismũdus Augustus R. sũptu Regio grãdẽ inCathedr: Cracov: erexit campanam

Idem Rex in Claro Mõte Czestochovien: Crucem argenteã magnã, manu propria fabricatã D. Virgini è voto obtulit.

Idem labore aurifabrili manûs suæ Regiæ monstratorium pretiosum ædificavit pro decore B. M. V.

Dapifer Maiestatis Marianæ Sigismũdus Rex Polon

terreret

terreret. Ambidexter Sigiſmundus erat ita ut ſimul, & Sceptro pro Domo ſuâ & malleo uteretur pro *Aris.* Eo ſolidiores fuiſſe publicas curas ſuas arbitrabatur hic Princeps, quod ſemper eſſent ſub incude. Ad ultimum ne MARIANA Menſa ſine *Arte foret*, Artis ſuæ Sacra hic reliquit vaſa.

Vladiſlaus Vellus aureum offert ad Aram Mariæ.

Et Paſtor & Rex VLADISLAVS IV. VELLVS AVREVM in ſinum Agnæ Cæleſtis deponit, & Sceptra Regni à Majeſtate ejus ſupplex impetrat. Hîc vellus deponit ne nimio æſtu ſerenitatis Regalis conſumeretur, vel ne pondus, ad pondus Diadematis ex ſe ſatis oneroſi adderet. Ad Primogenituram Coronæ ut primus eſſet, vellere Sacro manus Cooperit. Bruti Romani Conſulis exuere mores, non ſequi credebatur *Vladiſlaus*: dum Auream reſignat ſetam. Sceptra Regni ad ardua nata, ne in molli culcitra nutrire & fovere videretur, Lanam hanc auream reliquit in Anathema. Non refriguit munificentiæ ardor in *VLADISLAO* erga *MARIANAM Aram*; eo quod Auream velleris depoſuerit Colchidem; nam & flagrantem quia Auream, & Fragrantem quia odoriferam, ſerto Parthenio *ROSAM*, Regni ſui Paranymphus Numinis Sponſæ inſervit. Erubeſcebat Purpuram Regiam Vnctis dare humeris ſuis: niſi prius Roſam gemmeam in xenium Cælorum Dominatrici præſentaſſet, ſub cujus puniceo colore nunquam palleſcunt Regnantium Trabeæ. Calcant alij Roſas, & ideo ceſpitant quandoq; ſpinæ latentis ſauciati aculeo, aſt VLADISLAVS, alieno periculo cautus, ne in Curſu ad Coronam Regni ceſpitaret inglorius, Roſas prius collegit, latenteſq; amicas Roſis ſpinas impedimenta pedum. eaſq; in MARIANI ſacrarij repoſuit Hortulaniâ Sacratiori *Ariadnæ* Thaumaturgæ Virgini Roſam conſecravit hic Lechicus Theſeus, ut ope ejus in filo poſſet tenere Regni *Aquilam.* Florem Votivæ Roſæ MARIANO obtulit Gynecæo; ut in flore haberet ſemper Regni ſui Coloniam. Non emarcuit unquam Regni ſui Florida Felicitas ſub *Vladiſlao* IV. quam in Ierichontinam implantavit Roſam. Alijs nonniſi loqui Roſas conceſſum, *Vladiſlao* Regi Roſis aureis & placare Sancta Sanctorum (- - *tendoq; ſupinas. ad Cælum cum voce manus, & munera libo*) & coronare Divos proprium eſt.

Idem Roſā aureā pretioſam dedicat.

Neſcit

Nescit hoc Regium Centifolium brumalem intemperiem; SERENITATI enim MARIANÆ deservit. Cydarim Regiam, pretiosumq; Capitis sui Coronati Gestamen appendit ad Aram: *Exorat pacem Divûm, vittasq́ resolvit*

Sacri Capitis - - -

ut, qui aperto pectore MARIANVM zelaret Honorem, etiam aperto Capite MAIESTATI eius assisteret. Novum daturus à Capite Tributum VLADISLAVS, vittam Regalem dat in lytrũ *Imperatrici cælorum.* Noverat benè, Mitram Capitis, pijssimarum cogitationum suarum Consciam esse, hanc itaq; uti mentis suæ Regiæ Scrinium, supplex in conspectu AVGVSTÆ Virginis reclusit & Cor & Caput aperuit.

Idem Regiam mitrá totam ex gemmis cõtextam voti causa dedit.

ARCHIMEDEM age Calame, & ultimam IAGELLONIDVM lineam in infinitum protrahe. In ultima linea stitit CASIMIRVS Regum maximus; qui ne minimum Aboriginũ suorum præteriret punctum, Regni sui *Continuas* curas sic dividebat in partes, ut potiorem pro *Aris* Sacrificaret, ita tamen, ut postquam Tartaricis velitibus, volitantibusq; eorum Pharetris amputavit alas victricibus armis suis Martemq; Aquilonarem, & Borysthenicum captivum duxerit, primùm se cum opimâ in Castris MARIANIS hîc præsentat præda.

Rex Casimirus Clari Montis Benefactor maximus.

Multaq́ præterea Sacris in postibus arma

- - - pendent curvæq́ secures

Spiculaq́, clipeiq́, ereptaq́ rostra carinis

antequam in publico Regni Amphitheatro Classicum canat Triumphator. Et licet vox Populi una Lechiæ Herculem CASIMIRVM, Domitorem Hostium placidis salutaret de Campo Belli, invitaretq; Palinodijs:

Post devictos Tartaros Moschos Cosacos. in Claro Monte spolia hostium victor relinquit.

- - Magne veni Teucrorum Ductor, & altos

Ingredere, & celebres cape, quos spondemus honores.

Prius tamen MARIANA CLARI-MONTIS elegit invisere Castra cuius speciali succursu, hosticas fregit sagittas, telaq; in eorum propria retrusit colla: ubi & Militares Aquilas, Tartaricas Lunas, Rebelliumq; Copiarũ Manipulos, Canonum maiorum ignem spirantium aheneos Bucentauros, Sacrosanctis Victricibus Triumphatricis MARIÆ subiecit pedibus: cui Mons Sacer his applaudebat votis:

- - Troianæ Dux inclyte Gentis

Gloria, spesq́ Phrygum, quo nec pietate, nec armis

Maior in orbe fuit.

Pro ædificatione novi propugnaculi manu propria laborat.

Excubat in Muris MARIANIS hucusq; vigil memoria CASIMIRI REGIS Conthoralisq; Suæ Serenissimæ LVDOVICÆ REGINÆ: *nulla dies unquam memori vos eximet ævo*: qui MAIESTATI MARIANÆ ampliorem ut struxisset CLARI MONTIS Arcem, dirutumq; Machinis Gothicis emendasset: imo totum infirmum sanasset murum, Trullam Cæmentariam in suam arripuit manũ: acsi non satis esset Regi muros ahæneos fecisse ære proprios nisi etiã laborem suũ impendisset. Sceptrũq; Regiũ adinterim deposuit, ut ex lateritio Adamantinũ, murum fecisset. Fors Vastitatẽ Munificentiæ Suæ Angustia Claromontanæ non capiebat Arcis, ne itaq; Beneficiorũ suorũ summa Copia extra muros exire cogeretur, mænia procul extendi iussit. Fraterno quondã Romani maduêre sangvine muri; maduêre & hìc sangvine *Gothico* Fratris sui *Gustavi*, quem cruorẽ ut elueret notamq; infamem expiaret CASIMIRVS, sudore ipsemet manavit, manu Sacra Regiâ Saxosos in Angularẽ Propugnaculi Mariani Scopulũ volvendo lapides, eruendo Terram, Sceptro usus pro scalpro, Gestamine Regio pro ligone, CORONA Capitis sui pro Cophino, in quo quasi subterraneus Latomus effossam exportabat tellurem; experiri quodammodo volens scireq; interna & ipsius Terræ, Fidelisne extitit MARIANIS Partibus in hostico. Ipsa se Tellus in manum Pientissimi ingerebat Regis, quasi Dominum terræ agnovisset. Fatigio suo Rex Potentissimus omnibus vires addidit ad similem operam, ubi & Serenissima Regina LVDOVICA ludere cum arena sibi pro summo honore duxit, nec sibi opus erat corbe aureo: Scirpeâ Sportâ Ruderibus Regium explanabat Propugnaculum: non parcens maiestuosis viribus,

Gustavus Rex Sueciæ affinis Casimiri Regis oppugnator Clari-Montis

Exemplo Regis Casimiri Ludovica Regina comportat terram cæmentum lapides cũ suo Gyneceo prostructura propugnaculi quod ex tunc Regium dictum est.

Regina, novam cui condere Iupiter urbem
Iustitiaq; dedit: - - -

Impatiens moræ LVDOVICA, ubi *Solem* Poloniæ Serenissimum, Terræ acclinem & ad ipsa soli viscerâ penetrantem inaudivit: *Tandem progreditur magna stipante catervâ*
Sydoniam picto clamidem circumdata limbo
Aurea Purpuream nectebat fibula vestem.

Æneid.

Codrus se simulaverat agresti investitus lino ut fortius ageret pro Patria: CASIMIRVS in Regali Purpura servilia agit, pro MAIESTATE MARIÆ Trabeamq; Regiam Damascenâ terrâ, quam Invicta egerebat Dexterâ, sua magis rubere fecit. Cessant

ſant à laboribus mercenarij: REX non ceſſat ſervire MAIESTATI Divæ:

--- *Quem das finem Rex magne laborum*?

Plantam primam Propugnaculi poſuit in Claro-Monte, ſed & veſtigia Famæ, Gloriæ, Pietatis ſummæ reliquit.

Magnum CONSTANTINVM vixiſſe in CASIMIRO nemo non credidit imo robuſtæ vires eius tranſijſſe cum Excelſo *Conſtantini* animo & Auguſtâ Indole tranſmigraſſe in CASIMIRVM dici poterant. ille Cophinos duodecim Terræ, pro fundamento Byzantini Sanctuarij poſuit: ſed nec impar viribus CASIMIRVS quia & numero laboris, & Pietatis affectu æqualis. Diu Solem Patriæ non videre coactus CASIMIRVS, hoſtili eum eclypſante fumo: tandē exilij ſolutus umbris in MONTEM CLARVM redux maximus Hoſpes, in ipſa meridiei auge tergeminū Solem invenit, an ut cum maiori ſplendore adventantem in Patriam orbatam excepiſſe voluiſſent Amica ſydera REGEM; an, ut recompenſarent, triplumq; redderent, quod in proprio Poloniæ Horoſcopo luxiſſe Principi ſuo, armorum Gothicorum ſtrepitu non permitterentur; an Sol ſeſe è Gothico, Finlandico ſubtraxerat Cælo; hucq; acceſſit, ut quaſi Soli Polono iunctus fœderatûſq; auctior ſerviret CASIMIRO. Inconvivâ Palpebrâ *AQVILA POLONA* Rex Sereniſſimus triplicem ſcrutabatur Solem, *hauriebatq; lumine Phœbum* oculoſq; Regios paſcebat inſolita luce, cui, in *Sole* veluti in orbiculari tabula poſt cruda *Guſtavi* morticinia, cæleſtia ipſimet Superi quodammodo porrigebant Bellaria. A Solis triplicis Epiphaniâ Tria dona ſortitus: Pacem auſpicatus eſt, Civium Concordiam Regni ſui ſtabilimentum, Sacrorū cultum. Dominica in *Albis* hoc contigiſſe Solisluſtrium enarrant Faſti, acſi ipſa Aſtra totum Candorem teſtarentur CASIMIRO. Correſpondere voluit *Sol* Tempori dum ad Adventū Regis in MONTEM Clarum ſe inveſtivit candida veſte. An ut Regale Sacerdotiū, Vnctionemq; Sacrā veneraretur in CASIMIRO Sol Princeps ſyderū idcirco Dominica *in Albis*, *Albam* Luminis ſummi induit: ut Sacro Regi in Sacris inſerviret. Trino Solis in Claro-Monte exceptus Homagio Sereniſſimus noſter, Tricorporem in importandis Beneficijs ſe exhibuit Claro-Monti Gerionem, & ne reſtringere videretur Beneficam Gratiarum ſuarum meſſem ad unicum avitum *Manipulum*

Conſtantinus Imperat: terrā portabat pro ſtructura Eccelſiæ.

Caſimirus Rex tempore belli Svetici exulabat in Sileſia Redux in Clarum Mont: Triplicem Solem vidit ſupra Monaſterium id ſpectantibus & Patribus.

Dominica in albis facta eſt hæc apparitio portentoſa

Claromonti Bona contulit.

pulum suum: Prædia importavit. Sed habet Gratos habebitq; in ævum Adoratores Manipuli sui Clientes Clari-Montis Rex CASIMIRVS. Vt profiteretur coram Vniverso Polono Orbe, Augustam Numinis MATREM, etiam REGINAM Regni sui Electam esse, *Comitiorum Generalium* Conclave in MONTE Sacro indixit ad Latus MARIÆ.

Generalia Comitia Convocatis statibus in Claro Monte celebrat

Hic vox omniũ una: *Quæ referant fari Iubet, & responsa reposcit Ordine cuncta suo. - - -*

Vox una Legatorum erat quia in deserto MARIANO. Quotquot Nuncij aderant, omnes ad Virginẽ missos diceres. Reclamavit in Senatu nemo, quia consulebatur sub Rosa mysticâ: *tunc facta silentia linguis.* Congressus hic Magnus, oraculũ dici meruit, quia penes Tripodẽ non Delphicũ sed Deificum. Ne *Poloniæ Saguntum* Caperetur, MARIANVM Capitolium sanum dedit consilium. Cessent *Minois Cretensium Regis* Fabulosa cum Iove in abditæ specûs latebris cõmertia, à quo se leges accepisse gloriabatur: solidiores erãt CASIMIRI leges, quas ut condidisset, non obscuros quærebat recessus, imo Summũ *MARIÆ* ad id elegit *Montem* ut Quidquid statueretur pro omnibus, pateret omnibus, *Omnibus Augusti reserantur limina tecti. Paridem* hic agebat CASIMIRVS Rex, nam pro *Pandora* cælorũ nostra Sancivit plurima. *Detur Pulcherrimæ* Senatorum Cinctus Corona: - - - *primosq́, suorum Imperio accitos alta intra limina cogit.*

Responsa dabat decidebatq; CASIMIRVS ne caderet *Status Patriæ* sedens in medio: - - - *Sedet in medijs & maximus ævo Et Primus Sceptris - Læta fronte Latinus.*

Providè Nidus Consiliorum poni hic debuit quia sub umbra mgnarum alarũ Aquilæ Rupes CLARI-MONTIS Cos fuit, quo Cõscripti Patres acuebant sensus, non ut in diversa scinderentur opinamenta, sed ut unanimi Consultationum ictu nociva resecarent in Patriam molimina. Hîc Pax conclusa nec erat ex Purpurato vigintiviratu qui cum Catilina diceret: *non pacem petimus superi, date Gentibus iras* Animam jam jam agentem Patriam dulcem: *Vltima iam latij restabat Nominis ætas*, alibi miraculosius novo Consiliorum spiritu reanimare vix potuit *magni Consilij Angelus* CASIMIRVS, nisi ad Aram MARIÆ.

PVRVM SPIRITVM in Corpore venerare Calame Serenissimum MICHAELEM Regem. Ad MARIANAS tædas

hîc

hîc Sponſum egit, ut Gentilitium *Coributheum* Domûs Suæ ſydus cum Aurora cæli Sacro vinculo copularet. Angelus erat ex Nomine: idcirco & Cuſtos Corporis MARIANI Manus dat in vincula Coniugij, ſed Cor aureum Amoris MARIANI officinam gemmeis intertextum venulis, Intemeratæ deſponſat Virgini. Secreta Cordis eius, (quod nec perſpicaci Angelorum menti conceſſum) Solus Mons Sacer intuitivâ vidit & legit pupillâ. Verbis Mariophilis Cor Aureum implevit, & mirum eſt, quod poſt diva fata eius Mons Sacer Cordis eiuſmodi ſcrutator animam ibidem repererit. Verba, literæ, ſcriptura; characteres eius Regij in Cordis aurei medulla reperit nihil ſpirabant, niſi amorem MARIÆ: Quot Puncta, tot tela Caſtiſſimi Cupidinis, quot ejaculatorij affectus, tot affectuoſæ ſagittæ, quot in Divam Clari-Montis Aſpirationis notæ, tot Immaculati fomites. Ardere videbatur Cor MICHAELIS Regis pari cum AVGVSTINO Flammâ; ignitum enim eloquium erat, quod Cordi Suo aureo inclnſerat. Anatomiam Cordis eius fecerat Mons Clarus poſt Sanctum Deceſſum annuente ſuperſtite Principe; & nihil invenit niſi quod ſe magnum poſt fata ſua *Debitorem* fateretur MARIÆ. Ne mirare hîc enim *Contractum* inijt Matrimonij. Alibi connubia Solenni apparatu Regi pientiſſimo Celebrare non placuit, niſi in *Monte Claro*, ad nullum enim Beneficium Paſtoremq; cuius aſſiſtentiam habere deberet ſpectare videbatur, ſolum *Beneficium* MARIÆ recognoſcens in aſſiſtentiâ eius juremerito copulatur. AVSTRIACAM Pietatem *ex Sereniſſima ELEONORA* ſociâ vitæ exſuxit, quam ad Aram Claromontanam ſortitus eſt, Divinitus in Sponſam & Matrem. Sydus hoc Korybutheum poſt ſe traxit *in Montem Clarum* Auguſtiſſimos Imperij Soles, AVSTRIACI Solij plane Divini Prima orbis Lumina; nam & *Auguſtiſſimam Imperatricem* FERDINANDI Tertij Invictiſſimi, Armis Feliciſſimi, pro Aris zeloſiſſimi Comitē Sereniſſimæ Filiæ Suæ ELEONORÆ, & Archiduciſſam Conſororem Sponſæ cara Pignora Mons Sacer & ſpectavit & adoravit. Lucet hucuſq; Auguſtiſſimæ Imperatricis Summus in Divam Regnatricem Ardor non ſub modio ſed ſuper Candelabra artem ipſam ſuperantia, Gemmis pretioſoq; cōchylio magis quàm lumine collucentia, Aram pondere ſuo prementia MARIANO ſervitio è voto applicata. Cera ipſa inflectit

Rex Michael in C. M. C. ād Arā miraculosā celebrat Regales nuptias.

Aureū Cor è voto offert in quo ſcriptu n manu prop: incluſit & obſigillavit Dedit conſenſum reſigillando ubi totum affectū erga Divam legere erat

Viſitat locum Sacrū Imperatrix, & Archiduciſſa Filia ſua Soror Eleonoræ.

Imperatrix offert duo candelabra miræ artis elegantiæ & pretij.

ſe dum ardet, quaſi Reverentiam exhibere crederetur *Augustiſſimo* huic operi. Ipſi Cerei excandeſcunt quadammodo, quod tantum ſplendorem, de ſe dare non valeant, quanto, in Arâ MARIANA, lampada Imperatricis Auguſtiſſimæ fulgent. Ad hanc Cæſareorum Candelabrorum lucem patet inter ſeptem miracula, adnumeranda *Columna* an Pyramis Fulcrum Patientis Numinis quam Herculeo affectu Devotiſſima Imperatrix hîc in Arâ collocavit & fixit. Ars Columnæ Cæleſtem Phidiam indicat, Cryſtallinus color, naturæ miraculum oſtentat. *Columnæ* huic Imperatoriæ Mons Sacer inſcripſit *Plus ultra* ut indeſinentibus ſæculis Vniverſum Sacroſanctus AVSTRIÆ Thronus gubernet Europæum Orbem Portamq; Othomanicam claudat Triumphator.

Item offert Columnam flagellati Christi op9 rarum.

Serenissimus Elect: Trevirensis Episcopus Vratislavi: visitat locum Sacrū in Maio a. 1717.

Incognitus esse voluit.

PERMITTE & Tu Sereniſſime PRINCEPS Sacri Romani Imperij ELECTOR TREVIRENSIS DVX Supreme Sileſiæ Antiſtes Maxime Vratiſlaviæ, & Patrios Calamum tranſire limites, vicinamq; Sileſiam imo Germanam Sororem POLONIÆ libero pervadere paſſu & in Tuum Auguſtiſſimum ingredi conclave. Prima Tui in MONTE CLARO non pridem APPARITIO, etiam tacitam *Dignitatis Tuæ Electoralis Serenitatem, Nominis Tui Neoburgici Primam in Orbe Eminentiam* Præſulei Culminis Tui Divam Poteſtatem prodebat. Totum Montem Sacrum in ſtuporem egiſti, ut *Excelſam mentem Tuam* quam abſconſam habere deſiderabas mirari ſatis non poſſet *in Te*, quamvis *de Te* non ſciret. Luctabatur Mons Sacer ſecum: Vultûs Tuus Sereniſſimus, *MAIESTATEM* nobis ſpectantibus ingerebat; & externa pientiſſima compoſitio ſubticebat. *Lumen oculorum Tuorum* cor noſtrum penetrabat, & ex Fruitione Viſionis Tuæ plane Beatos efficiebat, ſed frons Tuus modeſtus & gravis ſilebat. Aulæ Tuæ compendioſus comitatus Magnificentiam Tuam Orbi Vniverſo conſpicuam non oſtentabat ſed & *Perſonæ Tuæ* Gravitas, & oris admiranda comitas *Te* Supremum Principem loquebatur. Et dum ſic ſub *ROSA Nomen Tuum Sereniſſimum* Latere permiſiſti odore ipſo Maieſtatis Tuæ Te prodidiſti & in *Cultum Tuum* provocaſti. Tormentabantur & ipſa præſidij Bellica Tormenta, eo quod diu Tacere cogerentur. Sed quàm primum MONTEM MARIANVM attigiſti, ac ſi Te præſenſiſſent Monarcham ſummum, reboabant præ lætitiâ.

Salve Serenis: Principi datur.

Prima

Prima Salutatio Tua Virginis Gloriosæ Angelica fuit. Elevatio mentis tota Extatica, Oratio sine intermissione intensa, inflexi Sacri Pedes Tui sine temporis pausa profundam adorationem testabantur. Post Edulium Eucharisticum, AVSTRIACÆ Sacrosanctæ Cæsareæ Domus Tuæ Divinum Pignus sumptum, totus ad terram prostratus plus unâ horâ quasi jam Terræ valedicturus raro exemplo meditabundus extitisti. Tot sæculorum jam Regina Electa Poloniæ Serenissima Numinis Parens in solio Claromontano à VLADISLAO Prædecessore Tuo Oppoliensi Duce collocata sine Regia imperavit Vmbella: sed ubi ille Solium dedit, Tu Primus pensilem Tabernaculi Cortinam Phrygia acu textam Nympheo labore filatam, de auro ductili totam fusam Tanta Maiestate dignam affixisti. Tabernaculum Transfigurationis posuisti in MONTE Nostro Princeps Munificentissime, sub quo *Status* Regni nostri novam aquiret Gloriam. Tentorium Tuum in area Claromontani Præsidij dum extendis, nos pro Tua Maiestate militare precibus vigilesq; semper esse facis. Ne etiam Desertum PAVLI Thæbei ut quondam apud Electum Dei populum esset sine papilionibus, Tu ELECTOR Serenissime providisti. Sub Tuo Augustissimo Conopæo agitabitur primum de Te consilium in Solio MARIANO primum de Te erit votum omnium nostrum ut Supremum Orbis teneas clavum.

Devotio eius summa.

Tabernaculum pretiosum sumptu maximo pro actu Coronationis studio comparat.

Phœnix REGVM Serenissimus IOANNES III. ex Gratijs quas Nomen sonat, Regalibusq; Favoribus in *MONTEM CLARVM* multiplex imo *Centimanus.* In manu IOANNIS III. REGVM Maximi sortes nostræ nunquam non secundæ. Manus eius manus erat congregatoris sed in Congregationem Pauli Claromontanam semper Benefica & dextera. In manu suâ, qui totum POLONIÆ portavit Orbem, portavit & *ARAM MARIÆ.* Et quasi esset à *PATRE LVMINVM* Homo missus *cui nomen erat Ioannes*, Lumen intulit cum lampade in Domũ *MARIÆ.* Et ut appareret Regiam esse Lucernam, hanc eam oleo Sacro, ignis fomento inungi Rex unctus Curavit. Iactet Vespasianus Templum pacis, hæc Lampas Pacificatorem Orbis declarat Serenissimum IOANNEM, qui in olea Pacis, Lucida appendit Symbola: Hîc accendit animum in Othomanos ad *ARAM MARIÆ*: hic chalybem

Serenissi: Ioannes III. Rex manus cõgregatoris dictus.

Grandem lampadem cum fundatione perpetui ignis offert.

Benedictionem accepit sub Viennam.

lybem

lybem Martialem in lampade suâ ardere fecit, ût non aliter extinxisset nisi sanguine hostili. Fatua erat Luna Turcica & ideo ex Viennensi campo ad portam suam pervenire non poterat; Solus Prudentissimus victor IOANNES Rex noster patentem invenit Portam Othomanicam, cui prælucebat Lampas indeficienti oleo.

Serenissimus Iacobus Princeps D. Virgini pretiosum monile obtulit sub figurâ Spiritus S.

Secutus vestigia Patris Serenissimus Princeps IACOBVS, qui *MAIESTATEM MARIANAM* Sacro muneraturus præmio, monile Sancti Spiritus Principum Insigne appendit Cultor Honoris *MARIANI* maximus, & in uno dono Septem Dona Spiritus Sancti contulit. Ita fere expediebat, ut ubi Serenissimus Parens ignem Triumphalem in applausum *MAIESTATIS* Divæ posuit, Serenissimus quoq; IACOBVS in Lampade veluti in nido Paterno columbam flammeam Collocasset.

Serenissi. Augustus II. Coronã gemmeam B: M. V. obtulit.

Quidquid munifica Serenissimorũ Regum elocavit in Divam Virginem Dextera: totum Coronavit Serenissimi Potentissimi AVGVSTI Secundi Regis Nostri Clementissimi Pietas Tot pretiosa cymelia, Tot artificiosa gemmarum fragmenta, tot æstimandæ armillæ variarumq; figurarum clenodia à Regnantibus hîc consecrata sunt, Primus autem AVGVSTVS Secundus id per quod Reges Regnant & Iusta Decernunt, CORONAM REGIAM MARIANIS subiecit plantis *Sacrosanctæ ROMANÆ Ecclesiæ* Pijssimum secutus exemplum pari Coronans Dono *MAIESTATI MARIANÆ* placere voluit. Post Consummatam Vniversalis Pacis Diætam, post clausum Iani templum Coronæ vittam Serenissimo Regnanti nostro offerendum placuit; ut dum oleâ Pacis Civium animos Coronaret, etiam Aras Diademate pretioso insigniret. Felix consultatio Pacis, cui Corona Regia in voto *Mariano* Coronidem dedit. Messem Gloriæ perennis, AVGVSTE Serenissime Tibi comparasti: dum semina Gemmarum collecta in fasces Cælorum Imperatrici consignasti. Attinget Diadema Tuum quod devovisti Rex Clementissime profundas Cogitationes Capitis *Mariani* teq; semper insinuabit memoriæ eius, ut & placida Author Pacis Fruaris publica quiete & in Tuo Longævus perennes solio. Post Maiestatem à Regum Munificentiâ Te manet Regina Regum Parens & Virgo: CORONA aurea expressa signo Sanctitatis GLORIA HONORIS & OPVS FORTITVDINIS.

CORONA
OBSIDIONALIS
Sacræ Imaginis Claro-Montanæ
Ex Aurea Libertate Procerum Regni Compacta

VINDICI CLARI-MONTIS *à nodosâ Cinctura Hostium MARIÆ - cingens materna tempora myrto.* Eheu mons clare? Vetustas Tua senileque ævum Tibi parit in Hoste odium, & *quia senuisti alius te cinxit.* Lumbos murorum Cingebat dissolutus Hostis, sed seipsum implicuit. Prædixit vates *Cadent a latere Tuo mille*: ita est: cecidit a latere muri claromontani *Millerus.* Arreptitius hic Spiritus erat, meridianum imitari videbatur Dæmonium, dum tentare auderet ad deditionem, NAZARÆAM MENSAM, *Gustavi* cupedijs. Clamore vocabuli sui *Wrzescewicius* Gothicarum Dux Copiarum alter, quasi clangore Tubæ, Ierichontinos Clari-Montis muros demoliri conabatur, sed vox nonnisi erat *Wrzescewicius.* Assumpsit mille Clypeos contra Millerum vindex MARIA.

Obsidio Clari montis contigit anno 1655.

Hic ferro accingor, rursus, clypeoq́ sinistram
Insertabam aptans, meq́ extra tecta ferebam.

Post irritum Mauortis hostilis conatum, post globorum lusus, post tot machinarum Bellicarum tonitrua, recessit furor, fulminante in Castra Triumphatrice MARIA. Quousq; tandem *victrix* suo non potietur Coronamento? *Sicinius Dentatus* ob Heroicam Fortitudinem Coronis aureis redimitus octo. Flaminio de PHILIPPO Macedoniæ Duce Triumphanti Coronata Pyramis posita. Ferte Coronam & vos Proceres Regni Protectores Arcis MARIANÆ

Aureæ Libertatis Primum monile PRIMATIALIS ROSA CELSISSIMI PRINCIPIS *Nostri Primatis Regni,* primũ in Coronæ Circulo teneat locum. Ad coronas nata Rosa hæc, etiam Diva redimire meretur capita. Composuisti Pãcis oleam o Rosa purpurea? nunc Compone & Coronæ vittam. Dispensatrix Diadematum Regni cum sis, nunc Diadematis geras vices: optimamq; elegisti Tibi partem, esse in Capite MARIÆ. Nesciret dare pretium orbis Sarmaticus

Rosa Insigne Primatis Regni.

inappretiato Rosæ PRIMATIALI Clenodio, sed invenit sibi justam meritorum Lancem in capite MARIÆ, ubi & Antiquitas Floridi Nominis ejus & Sanctitatis valor, in Neocoronatam summa pietas, in montem Clarum præponderat liberalitas.

TRIVM CORONARVM PRINCEPS CELSISSIMVS CASIMIRVS à Łubna ŁVBIENSKI Dux Severiæ Antistes Cracoviensis Coronas Cathedralis Sponsæ jungit Diademati Mariano, imo Lechici Zodiaci Fulgidissimum sydus *TAVRVS PRÆSVLEVS* totum Cælum trahit in Coronam Cælorum Reginæ. Non manus Ensem vibrat in avito stemmate sed *CAPVT*, ut Inventione pientissima, mucro hic Aureus, acumen addat CORONÆ MARIANÆ. Evaginavit hoc Celsissimum CAPVT Ensem suum, sed nonnisi in victimas Numini: Ense hoc excisæ Columnæ septem in Monte Claro manu Celsissimi Principis MATHIÆ ŁVBIENSKI in Regiam MARIANAM. Ensis hic semper pro Patria victor, pro Aris Zelator, pro MENSA NAZARÆA Clari Montis supremus Beneficiorum Incisor.

Vrus Insigne Pontificis Cracoviensis Ducis Severiæ

Fundat. Capellam B. M. V. Primas Regni Matthias Łubienski.

VILNENSIS Præsuleæ Purpuræ Fimbriam exosculare calame in Illustrissimo CONSTANTINO CASIMIRO BRZOSTOWSKI. *Rationale* hoc Pontificium Coronati MARIANI Capitis *sit prima apprehensio*. Gemma Præsulum, Vnio Animorum, Coronæ Marianæ Conchylium sit Decanus Pontificum. Extant vestigia *STAPEDÆ BRZOSTOWSCIORVM In MONTIS CLARI* stadio nec cursum Gratiarum hoc Pedum Pontificiæ STREPÆ sistere novit nisi ad montem Mariæ.

Stemma Antistitis Vilnensis.

Infulatus AGNVS Vladislaviensis Cathedræ Illustrissimus CONSTANTINVS SZANIAWSKI Cornucopias affert in Coronâ Ferreâ ille Patriæ arietavit tempora & vellus aureum Pacis appendit in *AQVILA POLONA*. Agnus Pascitur inter lilia, sed IVNOSZA Illustrissimus Pastorem munificentissimum agit: Leones enim Pauli Thebæi cibat gratijs.

Stemmâ Antistitis Vladislaviensis.

Tyara Posnaniensis ex Rosæ Gentilitiæ symbolo Regina Florum, in Illustrissimo Nomine Christophori & Ipsum fert *CHRISTVM* in Coronamentum Matris Serenissimæ, Capella Trina, Marianam Capellam Sacrarium Augustissimum

mum

mum ejus & fulcit gratiarum floribus, & fulget in Ara Votivis favoribus.

Odore Magni Nominis Tui traxisti in Manus Tuas Coronam è Vaticano Solio ILLVSTRISSIME CORONATOR Ierosolymitani Sepulchri Præpositus Generalis pro Coronâ Spineâ, quâ Cingebatur Mons Clarus obsidionis hostilis tempore, Tu nunc reddis Gloriosam, Coronent Sacræ Rosæ Marianam Cupressum, semper habituræ Immortalem Gloriam

Coronator Imaginis Sacræ Illustrissimus Christophorus Szembek. Episcopus Chełmensis

Plenilunium Beneficiorum Illustrissimus ADAMVS SIENIAWSKI Dux Supremus Exercituum Regni: Clavam Ducalem non semel sacrificavit in Coronæ augmentum. Beneficum *Sydus* hoc ut majorem Majestati Marianæ afferret Serenitatem, suam Claromontano affixit climati Lunam.

Luna stemma supremi Ducis Exercituũ Regni.

Stateram Tuam Gentilitiam Illustrissime LVDOVICE POCIEY Fundator noster munificentissime ita Beneficiorum implevisti pretio, ut ad ima pedum Regnatricis Cælorũ se acclinem fecerit. Elevabit Te Dextera Dei, quia Castrorum aciei ordinatæ Triumphatrici ClaroMontanæ Arma & militares Litasti Copias. Pascis de Tua Mensa Corvum Thæbeo Paulinum, militibusq; Tuis ad Aras VŁODAVIENSES pro Tuo certantibus Nomine, multiplicasti annonam. Parem *CORVINO* Regi Te Tua fecère Trophæa sed Corvino gloriosiorem Tua in nos Beneficia.

Fundator Vodaviensis Illustrissimus Pociey supremus Dux Exercituũ M. D. L.

Columna Regni in Słupow Illustrissimus IOANNES SZEMBEK SVPREMVS CANCELLARIVS Reg. Coronæ Marianæ meta. E Vaticano Capitolio emissa hæc sacrosancta Amoris Parthenij Sagitta in Tuas dirigentibus Superis involavit manus, ne Diadema *Imperatricis* Cælorum sine Tuo foret Ministerio. Aquila Tua Sigillaris quæ non nisi Coronas portare novit, Marianæ etiam Tæniæ nunc fit baiula. quæ VACANTES Cæli Gratias à Serenissima Neocoronata nostra Tibi referet.

Illustrissimus STEPHANVS LESZCZYNSKI Palatinus Calissiensis in Nomine suo fert *Stephanoma* in Coronamentum *MATRIS ADMIRABILIS*. Certavit ille cum propugnaculo Mariano non semel Benefica Dextera sua & svavi Annonæ Telo vicit, Armamentariumq; Marianum Electis Granis Locupletavit. Monti Claro Vicinum Castellum suum Beneficijs suis fecit contiguum. Immolavit

ad Aram Thaumaturgam *Wieniawæ* ſui Caput, ſed ſibi aureo Circulo Cælum deſponſavit.

Ingredere Senatum Marianum nunc *Illuſtriſſime IOSEPHE POTOCKI Palatine Kiiovienſis.* Vox Tua Senatoria Dulcis pro Patria, Canora pro Fide, ſit votum pro Corona Mariæ. Clava quam *STANISLAVS POTOCKI* Dux Supremus Exercituum Sacratiſſimo Cælorum Reginæ appendit calcaneo, index eſt *POTOCCIANÆ* in Divam pietatis. Pedibus innocuis Marianis veſtrum adhæſit Inſigne, ut monſtret iter ad Scopum Gloriæ.

REGIS SIGISMVNDI munificentia vivit in SIGISMVNDO *Illuſtriſſimo IACOBO RYBINSKI Palatino Culmenſi.* Addidit alas, Benefactor hic Pientiſſimus Spiritûs Sancti propitiatorio Varſaviæ, ſed & pro monte Mariano in Genere Beneficiorum ſemper *Iacobus maior.*

Incedit bene Honoris Mariani progreſſus & in Tua Gentilitia Solea *Illuſtriſſime IOSEPHE Marchio MYSZKOWSKI Caſtellane Sandomirienſis.* Qui toties repetito Beneficiorum Tuorum in Montem Clarum Curſu viam Regiam Sacræ Coronæ de Vaticano Solio adventanti effeciſti.

LVBOMIRSCIORVM SRZENIAWA in Celſiſſimo Principe GEORGIO Succamerario Regni nunquam exhauſtis Beneficijs in Montē Sacrū Scatens, pretioſas fert Conchas in Coronam. De Beneficijs Tuis Princeps Celſiſſime nunquam ſatis dici poteſt, quibus de Te Mariana abundant littora.

Ara B. M. V. impenſa magna Oſolinſciorū extructa.

Primus ad Aram Marianam *Illuſtriſſimus Maximilianus Comes Oſolinſki Theſaurarius Curiæ Regni,* cuius Avita ASCIA Toto Orbe Glorioſum Altaris Mariani effecit opus. Splendeſcet eo magis Coronæ Inſigne, cui Solium in Ara paravit Securis Oſolinſciana. Poſt defalcatas in Trophæa, Victrices Lauros Gentilitia Securis, ſecurius poni non potuit, niſi ad Cupreſſum Immortalitatis Symbolum, in Ara Mariæ

Fundator in Leśniow Illuſtriſſimus Męcinſki.

Non ſilet pro Coronæ Majeſtate & *Illuſtriſſima Męciniana* ROSA in Fundatore Gratioſiſſimo *ADALBERTO MĘCINSKI* Capitaneo Oſtrzeſzovienſi, Quot Beneficiorum germina in Candorē PAVLI Patris noſtri, hæc Roſa ſparſit, tot ora habet totq; oracula pro munificentiſſima Domo ſua.

Patens

Patens fecisti COR TVVM Perillustris de Buczyn MICHAEL KRASOWSKI ex abundantia enim cordis Tui quo Marianam animasti Aram: os Tuum & loquitur Laudes MARIÆ & facit opera MARIÆ. *Benefactor Clari-Montis Perillustris Krasowski.*

Non hic syllabus Magnæ Illiadis Benefactorum, sed quos non capit Calamus, CORONA MARIANA capiat

Et Tu calame jam LVCVLLVM age, qui Mithridate victo NAVEM CORONATAM plenam victorijs, magnorum Nominum Insigniis. Procerum generosis Facinoribus, hoc honoravit celeusmate:

Ecce Coronatæ portum tetigêre Carinæ

Sisto jam gradum & MARE GRATIARVM remo Calami fatigare ulterius non audeo. Vltimam tandem finalemq; Sacrosanctæ CORONÆ TVÆ Coronidem appono IMPERATRIX nostra FINIS CORONET OPVS:

Et cum de TE nunquam dici satis potest:

Decorum silentium CORONA *esto.* *Euripides apud Stobæum.*

Panegiry Pogrzebowych

A.

1. Acumen Doloris explicatum
2. Ad mentem Patriæ Caput

C.

1. Clavis Aurea fracta
2. Classica Mortis feralia

D.

1. Dissertationes super rubricas.
2. Dolorum Oneraria Navis producta.
3. Dolor Patriæ æternus

E.

1. Encomium ad solennes Exequias

J.

1. In Obitum Serenissimi Principis.
2. Iactura Orbis Literarij transmissa.

K.

1. Księżyc adumbrowany.

L.

1. Legatus renunciatus.

M.

1. Memoria Sæculorum intimata
2. Monumentum Doloris dedicatum.
3. Monumentum Consecratum
4. Mowa na pogrzebie
5. Munus Dolorum

P.

1. Parasceve Descripta

S.

1. Splendor Consecratus

T.

1. Tropheum wyrysowane
2. Tropheum Consecratum

V

1 Vivat Aeternum impressum
2 Viva Mors seu Morti superstes

